POSTHUMA BERNARDINI STEPHONIJ E SOCIETATE IESU...

Bernardino Stefonio, Valentino Mangionio

Digitized by Google

6
19 d

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 A
42

NAZIONALE
BIBLIOTECA CENTRALE V.E. II
204
16
A
30
ROMA

6.19.d.64

204.16.A.30

6.9A.A.42

Digitized by Google

Digitized by Google


2VH. 13. A. 30

POSTHVMA BERNARDINI STEPHONII E SOCIETATE IESV CARMINA

Quæ ex quamplurimis non perierunt

Editio Prima.

IHS



Romæ, Typis Ignatij de Lazzeris 1655.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI

CAMERARIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AN Renatus eſt Homerus? Ita reſpondit optimum ſpondenti nuncium Alexander ille Magnus, qui fortunatum Achillem appellabat; quod ſuæ Virtutis Homerum Præconem inueniſſet. Non Mercurius Ioui lætiorem attulit Nuncium, quam Ego nunc affero Tibi, ANTONI Princeps Eminentiſſime, qui Alexandrum magnitudine

 ani-

Digitized by Google

animi, & natura benefica Iouem æmularis. Ain tu vero? Veniſti nobis e Cælo Mercurius? Ecquid tandem boni nuncias? inquies. An renatus eſt Orbi Stephonius, quem fortunatus Adoleſcens Virtutis ſuæ Præconem Criſpus inuenit? Qui me Puerum heroicam inflammabat ad gloriam? Et qui, (Si viueret) quicquid a me pro Salute publica geſtum eſt, intermori non ſineret Scriptis ſuis. Aio, inquam, & Nuncio Tibi, diſerteque pronuncio, Princeps Eminentiſsime. Iterum natus eſt in ſuorum Carminum Immortalitate Stephonius. Ab eius obitu, litteratis omnibus acerbiſsimo, iacuit ille ſepultus annos fere quadraginta tenebricoſis obliuionis in ſordibus, quot idem annos admirante Roma, Torquato Taſſo, Ioanne Baptiſta Guarino, Antonio Querengo & Sapientum, & Poetarum omnium plaudente Choro vixerat in Societate IESV clariſsimus. At nunc e cinere ſuo Poetarum, & Oratorum Ille Phœnix renaſcitur Antoniani Solis ad lucem: & parte ſui meliore rediuiuus non iam Puerum, ſed

Vi-

Virum, & Sacrum Heroa veneratur ANTONIVM. ANTONIVM ille Principem Vaticana Purpura non modo Regibus parem, ſed aurei Seculi moribus, & ingenuarum Splendore Virtutum, & amplitudine rerum geſtarum plane Regem admiratur: In ANTONIO regios animos, regios ſpiritus, munificentiam regiam, vnum vno verbo, Stephonius vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ gratulatur ANTONIVM. Quæ de Te cunque Vates ille prædixerat. (Eſt enim Sapientis viri prudentia quædam diuinatio) Quæcunque de tuæ præclara mentis indole pollicebatur egregia: quæcunque mortalem vltra modum expectabat heroica: votorum ſupra menſuram præſentia eſſe probat Euentus, quæ futura præcinebat Stephonius. Sapienter enim intuenti teneris ab annis Indoles Antoniana futurorum decorum ſpecimen erat, & Speculum. Illuſtratur hoc Naturæ ſpeculum alterius ſpeculi lumine repercuſſum, vatemque fuiſſe Stephonium indubitatam fidem oculis facit. Speculum Dianæ Nemorenſis intelli-

go, in quo Naumachiam Roma vetus, Nereidasque certantes cum Tritonibus ſæpe ſpectabat: Recens autem Roma Tres Gratias implicitis, conſertisque manibus, hilares ridentesque, & alteri alteram aduerſas, & ſecum dulce pugnantes intuetur. Marium Frangipanium, ANTONIVMQVE Barberinum, mutua quadam, & in ſe redeuntiũ beneficiorum contentione certantes, & in hoc Nemorenſi lacu longe verius, quam Pyladem, & Oreſtem ad Dianæ Delubrum immortalis Amicitiæ Chorum ducentes mirata eſt Heroum Parens Roma, ſemperque mirabitur. Non ex iure XII. Tabularum, ſed ex adamantinis Amicitiæ Tabulis huius parui Regni (Sic enim Nemus Dianæ vocitatum fuit) Frangipanius ANTONIVM fecit Heredem. Mentior. Commutatis nominibus, animisque alterius in alterum tranſmutatis, atque transfuſis ANTONIVS ille alter hunc alterum Marium Heredem teſtatus eſt. ANTONII magnanimitatem heredem Scribendo, hoc eſt ANTONII Gratiæ, Gratiam referendo Marius abijt

bijt ex hac vita gratiſsimus. Num Illum e viuis abire, Num Marianum beneficium perire Antoniana Magnanimitas ſinit? Non ſinit. Viuit in ANTONIO Marius. Immortale Frangipanij beneficium in ANTONII pectore, tamquam in Repoſitorio Gratiarum ad Immortalitatem Marij Marianæ Poſteritati reſeruatur. Itaque dũ erit Dianæ lacus, & ſpeculum: dũ ſtabit immobilis illa Nemorenſium Collium, Rupiumque durities: dum eiſdem e Collibus, ſaxisque manabit illa perennitas fontium; æterna vice Gratiarum, & Nominum ANTONIVS in Mario, Marius in ANTONIO perennabunt. Hoc vnum ex innumeris illis eſt amabilibus heroicæ Naturæ Portentis, quæ de ANTONIO prædicebat arcana quadam animi præſenſione Stephonius. Heroicos vero pulcherrimos ſeptem & quinquaginta, quibus Ille Dianæ lacum Tyberi Riualem, & Nemorenſe Regnum, æmulum Romano Imperio ſcribit; quis eos Antonianæ Magnitudini, & Imperatoriæ Villæ dignitati non adſcripſerit? Illos huic Epiſtolæ placet

in-

Digitized by Google

inſerere, quando Laureæ Tullij Epigramma Plinius operi ſuo in honorem Villæ Ciceronis inſeruit.

Quid Nemoris memorem pictos ferrugine fluctus;
Vmbroſamq. fugam Euripi, & Symplegadis arctæ
Inſtabilem motu faciem Solisque fugacis
Circenſes Stagno ludos, Speculumque Dianæ?
Montis & obliqui frondoſo ſepta Theatro
Cærula, Agrippinæ Natalibus apta ferendis?
Hoc fundata lacu, vaſtis æquanda liburnis
Pinea tum ſtabat Moles: cum Roma Neronum
Seruitio Regina graui deſeſſa gemebat.
Inſula quo ritu medium circumſona Ponto
Aegæo in magno tumido prætenditur æſtu:
Hoſpita vel Phæbo Delos, vel inhoſpita Naxos:
Vel minor Ortygia emota nil mota Mimallis:
Aut Paros, aut Amathus, aut Icaros Vrbibus olim
Crebra tribus, nunc vrbibus Ithiæſſa duabus
Dicta frequens eadem, numerſ:q. binominis æquans.
Nil adeo non longa valet mutare vetuſtas.
Ergo vbi iam medium Titan pulſabat Olympum:
Findebatque agros ſitientes ira leonis:
Dum Matrem contracta ſuam vix vmbra tegebat;
Huc propere Plebes ſpectatum Romula ludos
Necquicquam Roma reuocante, Sacerque Senatus,
Matronæque domo excitæ, innuptæque puellæ,
Et luxu iam fractus Eques, & Cæſar habenas
Imperij oblitus, vacuis e mœnibus Vrbis
Protinus exibant, & curua Theatra replebant
Egelido vultum ſpectantis in Amne Dianæ.
Lumine multicolor criſpata tumebat Enyo,
Et medio exſpatiata lacu Delphinas agebat.

Inque

Inque lacu lentis circum præſulta Catenis
Inſultans innabat Aquis, æſtumque premebat,
Carbaſeos virgata ſinus, argentea funes.
Nilo qualis erat Pinus delapſa ſecundo,
Improba laſciui dum ſe Regina Canopi
Romano placitura Duci, læſura pudorem,
Et Capitolinis inſpirans ſedibus ignes
inſtruit, & circum pharetratos cogit Amores,
Et cultu male ſana tuo, Cytheræa, ſuperbit.
Nec mora raucisoni canor increpat æris ab alto
Marmore, Palladiosque vocat tuba martia ludos.
In medium Ratis acta lacum Proſcenia vectat,
Semihomines ſatyros, ſatyrumque imitantia curas
Mænala, Parrhaſios, Amnes, Pi-eta lycæi,
Et iuga Taygeti, duris bacchata lacænis:
Aut alio cæcas auerſo Sole Mycenas,
Aut Argos bellis aptum, bimaremque Corinthum.
Seu cum Tantaleo Pelopeia cœna furori
Inſtruitur, Pelopique humeri reparantur eburnei:
Siue Thyeſtæo luctu cum ridet Atridùm
Ambiguus Pater: aut molli denupta Marito
Euerſorem Aſiæ Coniux Agamemnona mactat.
Interea Ripas, curuataque littora circum
Marmoreis effulta toris, Parijsque Columnis
In morem Apſidis, ſpectante ſedilia cætu
Vndique complentur vario, fremituque fauentum
Omnia miſcentur late, denſasque per vmbras
Multiplicem ſonitum vocis reſponſat Imago.

Hanc Stephonij tubam heroicā imitata eſt humilis auena Stephoniani diſcipuli qui de Nemore tuo, Princeps Eminētiſſime, nemeſtrina plane muſa luſit hoc Epigramma.

A D

AD EMINENTIS. PRINCIPEM

ANTONIVM

CARD. BARBERINVM

Regni Nemorenſis Heredem.

MOntes hi Triuiæ, montana hæc vbera fontes,
Hæc pede laſciuo per iuga lympha fugax:
Hic lacus, hic lucus: Naturæ hoc dulce Theatrum,
Nunc eſt ANTONI, Cæſaris ante fuit.
Hoc regale Nemus, Regnum nemorale vocabat
Cæſar. Id, ANTONI, non tua Regna vocas?
Conderet vt Cæſar romana in viſcera ferrum;
Aurum de Templo Iulius hinc rapuit.
Hic Mariæ Templum gemmis pretioſus, & auro
ANTONI, cumulas. Cæſare Tu minor es?
Exta hominũ Cæſar litat hæc ad Templa. Tonãtem
Hic ſine cæde litas. Cæſare Tu minor es?
Auri auidus Cæſar ferrique. ANTONIVS auri
Victor es, & ferri. Cæſare Tu minor es?
Qui ſe non vicit: vicit non omnia Cæſar.
Cæſar mancipium Cæſaris ergo fuit.
Te magnum, ANTONI, ſuperas virtutibus: vni
Teque Deo ſubdis. Proximus ergo Deo es.
Prædioli eſt Nemus. Antoni Mẽs, nobile Regnũ eſt.
Regnum hoc dat ſibi Mens Regia. Nemo rapit.

Gratulor ergo Nemorenſi Villæ poſt Cæſares rerũ Dominos, Marioſq; Poſſeſſorem ANTONIVM, Principem intaminatum ſuperbia Cæſarum, magnanimitate parem Cæſaribus. Florem Græ-

cis

cis ANTONIVS, Coronam ſonat Stephonius. Quam decenter hæc Corona florem hunc ambit? Quam bene Purpura, & Virtutibus Eminentiſsimo Principi Princeps etiam æui ſui Poeta dedicatur? Magno erat Stephonius ingenio, ad pòetandum: Magnum eſt ANTONIVS Ingenium ad bene merendum. Neſcio quid exiſtit ex vtroque mains, atque mirabile! Omnia præclara rara ſunt. Vnum Homerum Græcia: vnum Alexandrum edidit Macedonia. Stephonios non multos numerat Societas IESV: Nec Roma multos habet ANTONIOS. Vale, Princeps Eminentiſsime, meq; tuos inter Clientes recens adſcriptum, meamque in Vrbe Typographiam, Benignitatis tuæ munere, conceſſuq; tuis exornatam Inſignibus intuere ſimul, ac tuere, tanquam tuam. In qua characteres Ignatij, erunt ignei Præcones Antonianæ Virtutis, & Gloriæ. Romæ pridie Kal. Nou. MDCLV.

EMINENTIAE TVAE

Seruus humillimus

Ignatius de Lazeris.

Digitized by Google

Ad P. Bernardinum Stephonium Huius Editionis Auctor.

INgenij monumēta tui pulcherrima flāmis
Damnaſti: certus Mortis inire viam.
Vitauere rogum: ſed partem longa vetuſtas
Eripuit, partem fors piceata manus.
Omnia ne pereant, priuata vel omnia fiant;
Quæ reſtant noſter publica fecit Amor.
Appones lucro, niſi præſēs improbet Aeuum.
Improbet. Hoc ſatis eſt, quòd placuere Tuo.

POSTHVMA
BERNARDINI STEPHONII
E SOCIETATE IESV
CARMINA

Quæ ex quamplurimis non perierunt

Editio Prima.



Romæ, Typis Ignatij de Lazzeris 1655.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

P. STEPHONII ELOGIVM.

BERNARDINVM STEPHONIVM *virum virtute nõ minus, quàm cognomine coronatum Sabini, gens ingenijs, quàm frugibus feracior, mundo mirandum, quia vix æquandum tulere. Indè Romam proficiſcitur indole virili puer, Sabinarum rapinam citrà iniuriam vlturus dum* Romanam *eloquentiam ſic arripit, vt ad* Sabinos *in ipſo ea tranſmigraſſe videretur. Vt autem vberem eruditionem adhuc tiro præcerperet in ſeminarium illud admittitur, quod ſedulò cultum, aureis ſapientiæ* Pomis ſua nomina ſeruat. *Indolem Roma dignam præſenſit, & obſtupuit ALEXANDER FARNESIVS pari purpuræ prudentia* Cardinalis, *cum Abbas Farfaræ puerum audiuit farneſianas laudes Romanè perorantem; Quæ cauſa fuit, vt eundem* Seminario *adiunxerit. Illic primùm grammaticæ primarijs adnumeratus, primariam*

operam nauiter nauans, facilè ſodales anteceſſit. In literis deinde humanioribus, ac Rhetoricis eos habuit miros proceſſus, vt Magiſtros ſanè memorabiles, editiſque voluminibus celebres, ipſorum confeſsione ſuperarit. Deinde a Seminario in Societatem Ieſu admiſſus, optimam quam collegerat, frugem tutum in horreum intulit. In hoc bonarum artium lyceo priùs magiſter, quàm auditor, primæ Claſsis grammaticam Romæ tradidit annis ternis, deinde binis Peruſij Rhetoricam. Poſtea Philoſophiam didicit ſub Mutio Vitelleſco, inclytiſsimi nominis primùm Magiſtro, tum Societatis vniuerſæ moderatore. Sed Philoſophicis anguſtijs maius & amænius ingenium coerceri non potuit, quin multa interim poeticè luderet, ſcriberetque tragici cothurni Tyburtem Symphoroſam ſcriptionis genus ſeculi veteris aurea latinitate reflореſcens noſtros ita Rhetores Bencium præſertim ac Turſellinum, prima illo ęuo facundię capita externauit, vt minoris eloquentię ſarcinulas admirabundi collegerint. E contentioſo digreſſum lyceo

Rhe-

Rhetorum Parnaſſus excepit, docuitque Romæ Rhetoricam annis compluribus intermixtis Theologię ſtudijs. Deinde Neapoli noſtros Rhetores informauit; abijſſetque ad Siciliç fertile ſolum erudita ſemente conſerendum, ni fœda tempeſtas oppoſita eam noſtris felicitatem regionibus reſeruaſſet. Porrò quos Roma plauſus dabat, cum quotidianam torrentis eloquentię volubilitatem, non affectato ſtudio expreſſam, & quaſi tortiuam, fucatamque, ſed fecundo ex ingenio ſponte profluentem, & conſueta diſcipulorum, & honoraria cùm Præſulum, tùm Cardinalium panegyris attentis, attonitiſque auribus exciperet? Cumque auditorum multitudo relictis anguſtioribus Rhethoricę roſtris Logicę capaciſſimo in lyceo declamare Stephonium compelleret, vbi non vnum aliquem ætatis noſtrę diſertiſſimum virum, ſed æui veteris Tullium & Virgilium reuixiſſe ac Pythagorico miraculo ex ore Stephonij proloqui exiſtimabant. At quales, quantique viri ſic de Stephonij facultate dicendi exiſtimabant? Taſſus, Bargeus, Guarinus,

Digitized by Google

Vrſius, Vgonius, Mazzonius, Querengus, Sanctorius, Marinus, Maffeius, Bencius, Turſellinus, Scottus, & quicquid Patrum noſtrorum memoria in vrbe fuit inter Muſarum cultores hominum excultiſſimorum. Et Torquatus quidem Taßus auditus eſt non ſemel cum diceret, ſi ſibi contigiſſet vt ante Stephonij conſuetudine frueretur, quàm ſuam Ieruſalem in hominum conſpectum daret, haud dubiè fuiſse illam multis partibus meliorem proditu ram in publicum; Ioannes vero Baptiſta Marinus Poetarum ſui temporis ingenioſiſsimus, quandiu Romæ fuit, ita Stephonium colebat, vt eum tanquam artificij poetici Magiſtrum cupidiſſimè ferè quotidie adiret, ſemper noua, ſemper recōdita oracula de poëtica facultate domū ſe reportare profeſſus. Romā Neapoli reuerſus pręfuit literario humaniorum ſcholarum foro, multumque ad fructum, ac dignitatem profuit, quia coram Apolline Muſas decet eſſe ſolertes. Poſtremus eius labor Mutinenſis profectio ad Principes Ducis filios inſtituendos; ne ſolus Alexander Macedo Ariſtotele ma-

giſt.

giſtro gloriaretur. Mutinę mortem obijt, quam multo ante preſenſiſse viſus eſt. Eodem natus & mortuus eſt die, Deiparę ſine labe conceptæ ſacro, vt innocentem vitę periodum confeciſse ſub innocentię tutelari Magiſtra interpretemur. Moriturus immortali dignis prӕconio enixis precibus flagitauit, vt quæ ſupererant euulganda ſcripta complura, flammis data, ſecum funerarentur. Nempe par erat, vt magno geminus Maroni, dum ſcriberet, ſimili vitam voto & voce terminaret. Peperciſſe dicam tunc funeſtas flammas egregijs lucubrationibus ne rediuiua vetus eloquentia inuido incendio extingueretur. Sed neſcio quo fato factum eſt, vel qua incuria, iniuriaue accidit, vt elegans facundiæ miraculum in aurito mundi theatro vulgandum, pluſquam ſepulchrales hactenus letebrę ſuo cum authore obruerint. Et quamquam Stephonius quę calamo cuderet, apud ſe non retineret, nec ſua ſecum bona portaret, quippe qui ſui, rerumque ſuarum deſpicientiſsimus erat; tamen fuit, qui eiuſdem opera cum ſoluta, tum aſtricta

✠ 4 nu-

numeris oratione ſedulo ſpicilegio particulatim apud alios conquiſita, in ſeptena dena volumina pulchrè deſcripta congeſsit. Dicendi genus e latinę vetuſtatis auro recuſum, ſtylo noſtrate longe mundius, atque conſpectius, ſe ipſum per ſe ſatis lectori venditabit, modo ſit auribus exploratis non agreſtibus & hiſpidis & latini ſermonis ac verè romani guſtũ cum nauſeabundo hoc ſęculo nõ amiſerit. Sed iſta citrà narrantis operã, fidemque legentis oculis vſurpatur, & admiratione animos implet eloquentia. Illa potius teſtimonio indiget noſtro prodigioſè tenax memoria, in qua quicquid ſemel legerat ſic penitus inſidebat, vt cum ſcribendum quid foret, ei non eſset opus, quemadmodum graues etiam Magiſtri conſueuere, antequam loqueretur, theſaurarium verborum foſſorem an furem, laborioſè moroſeque agere; ne calamo cæſpitaret, ſed ſui pectoris erudito e penu totius videlicet antiquitatis promptuario ſtatim eloquenda promebat. Vt Aetas recentior Stephonio dicente latinum in ſeculum ſe remigraſſe miraretur. Quàm vero muſas

ad

ad nutum alacres habuerit, & obſequentes; vt cetera taceam, infinita ociſſimè ſcribentis documenta, tragici Criſpi extremus actus ingenioſo impetu nocte vna perfectus euincit. At qualem factum? nempe carminis luce ac maieſtate Imperatorium, implacabili Conſtantini parentis ſeueritate vehementem, paternam Criſpi miſericordiam implorantis innocentia lacrymabilem. Neque ſolum obſequentes ad nutum Muſas habuit Stephonius, ſed etiam Chriſtianas fecit, dum eas ex Græcia & Helicone circa Auguſti tempora in Latium & Palatinum tranſgreſſas, volentes lubentes in Paleſtinam, & Caluarium traduxit. Ecquid mentior? perlege tot millia, quæ e longe pluribus ſuperfuere, Stephonij Carmina, nullam ferè argumentum non ſacrum eſſe deprehendes; nullum dices eſſe in ſacris litteris facinus paulo illuſtrius, nullum in Chriſtiana Religione Miſterium, quod Stephonius ingenio quidem & marte ſuo, ſed Poetarum aurei ſeculi lingua & ſtylo elegantiſſime non expreſſerit; quæ laus eo præſtabilior cen-

ſeri debet in Stephonio; quod is in hoc ſcribendi genere, præter Sannazzarium poëtam, quem imitaretur, habuerit neminem, ſiquidem quæcumque nunc tandem huius Auctoris Carmina lucem aſpiciunt, ea ille ferè omnia panxit ante annos ſexaginta; quo tempore præter verſiculos paucos Andreæ Fruſij, nemo, quod ego ſciam, ex hominib⁹ Societatis carmen vllũ ædiderat; vt propterea videri poſſit Stephonius tam multis noſtratibus, qui poſtea tanta cum laude cecinerunt, propoſitus fuiſſe ſi minus ad imitandum, ſaltem ad feliciter emulandum. Iam *verò virtutum decora ingenij laudibus non ceſſere. Quamquam loquentis miraculo attentionem ad ſe totam prouocante, ſingulas agentis dotes aduertere non potuimus. Apex ille facundiæ de ſe adeo demiſsè ſentiebat, vt omni gloriæ ſenſu quodammodo caruiſſe viſus ſit, in ſui oſtentationem infans & elinguis; nec ſe populo venditaret, aut Principum virorum gratiam aucuparetur, ſuaque ſibi eloquens demiſſio perſuaſerat vt vel inuita fama, plauſuque publico lateret.*

Fn-

Fugiebat inprimis Potentiorum aulas, vbi ſui diuiſam exercebant hoſtes tyrannidem, Inuidia, & Aſſentatio, ſed nemo melius quàm de ſe ſentiret demiſsè Stephonius deſcripſerit, quàm ipſe Stephonius aliquando expreſſit; cum ſcilicet de more Societatis in ſemeſtri inſtauratione votorum ſcripto tradidit ea in quibus ſe peccare in vita religioſa fatebatur vt in tricblinio publicè e loco ſuperiore, ſicuti ſolet, recitatis, obiurgaretur. In eo ſcripto miſerum animi ſui ſtatum cum tabido corpore comparauit Sanctiſſimi viri Iobi, qui ſibi in menſtrua ſortitione Sanctorum apud nos vſitata menſe ſuperiore obuenerat pręcipua religione colendus. Eius verba ſunt hæc: Sortes bonorum nutu quodam regi diuino vetus opinio eſt, id nec vnquam mihi dubium fuit, & proximis diebus ea ſortitione perſpicuè patuit, quæ propriè mei mihi calamitoſiſsimum animi ſtatum calamitoſiſſimi Iobi ſanctiſsimiq; ſignificauit exemplo, vt manifeſta videtur Numinis ſignificatio quam negare non debeo; ſic ærumnarum mearum aptiſsima ſimi-

✠ 6 litu-

„ *litudo eſt, quam diſſimulare non audeo.*
„ *omnia ſibi mirè consentiunt, & tan-*
„ *quam e regione compoſita respondent:*
„ *morborum vis insanabilis, & comple-*
„ *xio multiplex fœda corrupti corporis*
„ *sanies vndique deliquescens, illuuies*
„ *inſinceri sanguinis, macies atque ta-*
„ *bes, grauis odor ac peſtilens; luctuo-*
„ *sa calamitas, ac cruciatus, moeror,*
„ *angor, pedor, inſomnia, ſterquili-*
„ *nium, solitudo. Demum omnia sunt ſi-*
„ *milia collata noſtris, extra quam*
„ *quod asperrimorum illa sanctiſsimi*
„ *viri excruciamentorum Ilias in cute*
„ *dumtaxat fuit, & in vlceroso, tabidoq;*
„ *corpore multifariam rectæ mentis op-*
„ *pugnata non expugnata felicitas.*
„ Meum *contra cęcum & inteſtinum eſt*
„ *malum: intus latet inclusum, intus*
„ *occulti scatet exitij lues; intus e clan-*
„ *deſtinis visceribus efferuescit, omnium*
„ *fędiſsima corruptela morum; intus in*
„ *imo corde gliscit inquinatiſsimus ma-*
„ *lorum fons omnium, & cœnosa peren-*
„ *nitas deteſtabilium cogitationum,*
„ *sententiarum, opinionum, suspicio-*
„ *num, dubitationum, voluntatum*

appe-

Digitized by Google

„*appetitionum, affectionum, aſſentio-*
„*num, diſſentionum, deliberationum,*
„*ſtudiorum, imaginum, aggreſſionum,*
„*contentionum, declinationum. Et*
„*ex eodem fonte officiorum deriuata*
„*labes; perturbationum euripi; cupidi-*
„*tatum æſtus, iracundiarum faces, ægri-*
„*tudinum furiæ, timorum, aberratio-*
„*num, exanimationum, odiorum, ſimul-*
„*tatum, diſsimulationum, ſimulatio-*
„*num, obtrectationum, voluptatum,*
„*& oblectationum, iudiciorum, conſilio-*
„*rum, decretorum, dictorum, factorum*
„*ſensuum, & aliorum omnium inquies,*
„*incoſtans, turbulenta seditio; qua-*
„*rum rerum omnium seditioſiſsimo con-*
„*flictu naturæ viribus omnibus teme-*
„*re profuſis & neruis omnis virtutis*
„*inciſis, & Diuini Numinis penitùs ac*
„*perditè profligato metu, animi quo-*
„*que ſtatus intimus labefactatus & cõ-*
„*cuſſus eſt, diſsoluta modeſtia, repreſ-*
„*ſa facilitas, contaminata ſimplicitas,*
„*aduocata calliditas, deſerta veritas,*
„*admiſſa falſitas, inflammata cupiditas,*
„*incitata temeritas, amiſſa libertas,*
„*neglecta ſanctitas, dehoneſtata reli-*

gio

,*gio, pert urbata tranquillitas. Ha-*
,betis igitur PP. reum ſuæ confeſſione
,,damnatiſſimum æterni Iudicis iudicio
,,contaminatiſſimum. Atqui luculentiſ-
,,ſimas has ærumnas illi non Deus ad
,,experimentum virtutis, aut malus
,,Dæmon intulit, vt Beatiſſ: Iobo, ſed
,,ſuus error ac furor, ſua fraus, ſuus illi
,,torpor in minimis noxis ante conniuẽs
,,vt in maximas paulatim exinde pro-
,,laberetur; ſuus ſtupor, ſuus a labore
,,proclivis ad otium languor, atque de-
,,ſidia, ſuus poſtremo ſummæ refrigera-
,,to iam pridem ardore laudis degener,
,,ſibique quotidie magis, magiſque diſsi-
,,milis tepor omnis dedecoris exitijsque
,,conficientiſsimus inuexit. In quem il-
,,lud infelix elogium (*eſt enim aptiſ-*
,,ſimum) panegyris malorum omnium
,,puluis & cinis, reus primæ ſecundæque
,,mortis *Dei Iudicio proſcriptum ſuppli-*
,,cio prædamnatum caput, Reus reli-
,,gionis, & voti, Reus veritatis & fi-
,,dei, Reus diuinę Maieſtatis & glorię
,,caritatis & gratię, bonitatis, & be-
,,neficentiæ, pietatis & miſericordi,
,,longanimitatis & patientiæ, indigna-

tio-

„ tionis, & iræ Concilij, & Iudicij, ſup-
„ plicij, & Gebennæ, cæcus & nudus,
„ ſurdus, ac mutus, durus & excors,
„ ſtolidus & vecors, pauper, & ſuperbus,
„ miser & turpis, impurus, impius,
„ iniuſtus, peccator, impenitens, senex,
„ fatuus, & ſtultus, inueteratus dierum
„ malorum.

Hem tot, tantarumque turpiditu-
„ dinum vlceribus coopertus, ac diſ-
„ fluens ſaltem in ſterquilinio iaceret.
„ O impudentiam ſingularem! O auda-
„ ciam nõ ferendam, o animam inanem,
„ o præmortui pectoris indolentiam; lu-
„ tulenta sus in amaraco ac rosa cubat,
„ plausum captat in theatris, popularis
„ auræ rumusculos aucupatur in exe-
„ dris, triumphat gaudio perſona des-
„ cussa, modo tragicus, modo Mimus,
„ annum iam prope quadrageſimum in
„ sanctiſſimorum hominum religioſiſſi-
„ mo conuictu liberarum artium ſtu-
„ dijs expolitur ad laudem, inſtruitur
„ ad riſum, excitatur ad gloriam, appe-
„ titur, salutatur, diligitur, alitur,
„ ornatur, floret amicitijs ſui diſſi-
„ milium Iuuenum honeſtiſſimorum

foris,

„ *foris nobilis; domi carus, riſui ſplen-*
„ *det, animo funeſtus, quaſi muſica de-*
„ *ceat in luctu. Me miſerum! Timeo*
„ *quorſum euaſura ſit tam diuturna,*
„ *tamque prolixa piiſsimi Numinis in-*
„ *dulgentia. Non ſemper felix eſt ſce-*
„ *lus, ſapientibus certe ſemper impro-*
„ *borum fuit ſuſpecta felicitas.*

Ita de ſe Stephonius.

Iam Paupertatem vnicè coluit, vſurpauitque vna dicendi vbertate diues, & ore aureus. Quotidie ſe flagris piè ſeuerus cædebat, & iurè ambigitur, an paginas elegantius eloquentia inſcriberet verſibus, an pietas corpus vibicibus. Præſcriptas diuinarum contemplationi rerũ horas in medio conclaui tranſigebat vni dilecto accliuis & innixus Deo; neque decreta cæleſtibus curis & commercijs tempora mortali negotio interpellari, profanarique patiebatur. Idem erat in agendo antiquis & melleis ſine ceræ mixtura & fuco ſinceriſſimis moribus; perinde religioſæ conſeruandæ diſciplinæ, ac latinæ litteraturæ propagandæ ſtudioſiſſimus. Accedebat ad ſerias eius dotes condimentum dulcis feſtiuiquæ

ſer-

ſermonis, facetarumque Comędiarum, quibus priuatim & publicè catonianas etiàm detinebat & mulcebat aures, idemque tragicis lacrymis comico riſu medicatam parodiam faciebat. **Deniq;** *Stephonij vitam mortemq; commendat & coronat obnoxiam Virgini maximæ obſequium, quę conceptus ſui natali die propitium naſcenti, morientiqne ſydus affulſit, eidem quippe morum ſtudiorumq; præſes. Decet iam viuam pridem ſepulti effigiem officioſa verborum pictura quantus cuſtos memoria suggeret colorare.* **Satura** *fuit commoda & ampla, ingenioſorum colore ſubuſco, fronte quadrata, naſo modico rectoque, auribus ad argumentum docilitatis mediocribus, ore adflexanimam eloquentię ſcatebram decenter magno, voce bona & plauſibili cuius echo eſt.* Poſthuma Gloria.

P.Sfor.

P. Sfortia Pallauicinus in Vindicationibus cap. xix. fol. 118. hæc habet.

AT quando in eum locum adactus ſum, vt Noſtros laudare, ad defenſionem ſit, non ad gloriam; aurium ſpero faſtidium aberit, ſi cum Poetis illis clariſsimis aliquos Noſtrorum comparare non verebor. Age quid tibi videtur de Bernardino Stephonio? cui non modo apte quadrat gloriatio illa Ouidiana
,, Nũc habeã per te Romana Tragędia nomẽ
Sed alia excelſior, quod ſcilicet per ipſum Romana Tragædia nomen atque honorem acceperit apud recentium theatra, certè vt reliqua Stephonij opera, quorum pleraq; non prodierunt, omittam, Criſpus eo excepta eſt Nationum omnium plauſu, vt frequenter data, frequentiùs lecta, ſemper & vbique voluptatem, atque admirationem ſibi parauerit: ita vt nullum carmen illorum Vatum, quos obiectas æque in manibus ſit, atque in ore omnium.

P. Tarquinius Gallutius in Diſſertatione Italica quam inſcripſit.

Difeſa del Criſpo Tragedia *ita ſcribit.*

IL diſcorſo che ho già fatto ſopra la rinouazione dell' antica Tragedia, concioſia coſa che contiene i ſemi di qualche protettione à fauore de' Tragici componimenti; ha in me deſtato volontà di far difeſa al Criſpo Tragedia del P. Bernardino Stefonio, e ſchermirlo da alcune oppoſitioni, che contra gli ſono ſtate propo-

ſte

ſte da chi o l'ha priuatamenre lett o, o l' ha veduto publ camente rappreſentare . Queſta Tragedia da lui compoſta trentaſei (hora 57.) anni ha fu primieramente fatta vedere in Collegio Romano non con molto apparecchio di ſcena, ne con molta pompa di robba, e di habiti ſontuoſi, ma con Attori e Recitanti ſi rari, che biſognò piu volte ad inſtanza de Prencipi ritornarla in palco, nè da quel tempo in qua per comune giudizio di coloro, che gli vdirono, ſi ſono mai piu ritrouati altri che, non dico gli ſuperaſſero, ma che nè pure gli pareggiaſſero in qualche grado di gratia, di eſpreſſione, di portamento, di mouenza, di voce, di Maeſtà. Si che deliberandoſi poi della Stampa di quella Compoſitione fu ſuſpicato, che la bontà degl' Attori haurebbe potuto ſcemar non poco l' eccellenza dell' opera nel giudizio di coloro, i quali hauendola prima vdita, e veduta in atto, voleſſero di vantaggio leggerla, e con agio conſiderarla. Auenne tutto il contrario: e ſi le crebbe colla diuulgazione il pregio e la ſtima; che non ſolo fu ſempre auidamente letta, ma in tutto'l tempo, che dalla prima rappreſentatione è corſo fin qua, non ſi è quaſi mai tolta di Scena ne' in Italia nè di la da Monti, cagionando ſempre ne' ſpettatori noua marauiglia dopo che l' hanno ancora tante volte vdita, e veduta, che molti ſi trouano, li quali con l' vſo d' vdirla, e di vederla già ne ritengono a memoria la maggior parte. Ma perche queſti chiari ſi grandi ſogliono hauer anche grandi ombre, che via maggiormente gli auuiuano; non vi mancano qui oppoſitori, che mi daranno cagione di fargli forſe più rileuare, e venir piu fuori dalla lor Tauola colla preſente diteſa.

L'Autore di queſta Tragedia fu Bernardino Stefonio dal Poggio Mirteto in quella parte di Sabina, che è ſoggetta a gl'Abbati di Farſa, ſpiccata dall' altra, che e vno de' ſei Veſcouadi, li quali ſi danno a' Cardinali piu vecchi, & Antiani. E l'vna e l'altra Contrada diſteſa longo la falda e per le pendici di que' monti che verſo l'Abbruzzo terminano la veduta della campagna di Roma, paeſe di rileuato ſito, ameniſſimo e feraciſſimo non ſolamente d' ogni maniera di frutti, ma anche d' ingegni capa-

capaci di dottrina, e di Poeſia, nè poco habili alla militia ancora, quando vi ſia chi impieghi la lor naturale capacità. Ed ho io memoria, che fanciullo molti vi conobbi, e vidi, li quali non ſolamente con ordinario ſoldo, ma con commando ancora di Capitano, e con altri carichi haueuano militato, e ben ſeruito nell' Armata, e vittoria nauale alli Curzolari, oue erano ſtati condotti da loro Padroni. Da luogo sì atto alla produzione de' buoni ingegni, hebbe naſcita queſto Autore, e ne ſortì natural talento alla Poeſia sì particolare e sì grande, che dall' animo gli traluceua fuori nell' attione e nell' eſterno ſembiante. Fu di miſurata ſtatura, piu toſto oſſuto che ben in carne, di corpo aduſto, di color bruno, e di pel nero, di viſo alquanto zotico, ma niente ſpiaceuole, di occhi ſpiranti e viuaci, di grata fauella, ad acuti, motti e piaceuolezze prontiſſimo. Hebbe compleſſione d'ingegnoſe, e quella particolare, che ſingolarmente diſpone alla Poeſia, cioè malinconica, ed acceſa di calore tanto eccedente che nel componimento forte ſi commoueua d'animo; e ne diueniua come alienato, e fuori di ſe. Non ha dubio che il furor poetico nella maniera che l' imaginano, e ſe l'aſcriuono gl' antichi Poeti, è leggierezza e vanitá nata dall'opinion delvolgo ſuperſtizioſo di ſua natura, ed inchinato a credere, che le coſe molto riguardeuoli, e molto marauiglioſe, celeſti ſono e da forza ſopranaturale concepute e prodotte, perche gli huomini di cōmunal giudizio e di volgar intendimento miſurando dalle lor proprie forze e valore l'ingegno e potere altrui, ſtimano ageuolmente miracolo e dono ſouranaturale quello che in altri ammirano, e colla natural loro facoltà già diſperano di poter ottenere. Ma ſe il furor poetico tal ſi trouaſſe, quale il finſero & imaginarono gl'Antichi, nell' Autore di queſta Tragedia ſe ne ſarebono potuti notare e riconoſcere moltiſſimi ſegni, conciofiacoſa che pareua ſempre rapito da qualche interna forza e virtù, e nella compoſizione de' ſuoi poemi tanto ſi trasformaua negli affetti che intendeua eſprimere, e tanto viui ſimolachri & idoli delle perſone e delle coſe, che haueua a deſcriuere ſi ſtampaua nell'immaginazione e nella mente, che ſi alienaua da ſenſi, e ſtan-

ſtanco finalmente ritogliendoſi dall' opra, ne moſtraua in viſo vn certo sbattimento, ed vn tal languore, qual dimoſtrano coloro che hanno riceuuto qualche grande e ſtraordinario patimento da fantaſmi nell'animo. Ma da che quell' iſpirazione, e quell' entuſiaſmo vaniſſimo è, nè altro è il furor poetico fuorche natural diſpoſizione, e talento alla poeſia; debbo dire che hebbe coſtui dalla natura ſpirito sì ardente, e ſolleuato, che haurebbe potuto dare occaſioue agli Antichi di ſtimarlo iſpirato da gli Apollini, e dalle Muſe, non meno di coloro, che per l'eminenza del poetare furono in que' tempi reputati diuini. Il che tanto più giuſtamente poſſo così affermare quanto che vna dote di compoſizione ſi vide in lui che può chiamarſi con ogni ragione Singolarità, eſſendo egli ſtato egualmente diſpoſto alla Tragica meſta, & alla Comica piaceuole, all' Heroica graue, & alla Lirica temperata, anzi a tutte le tre forme e caratteri di proſa ancora ſommo, infimo e mezzano come dimoſtrano l'opere medeſime le quali e di proſa e poeſia in teſtimonianza del ſuo ſingolar talento laſciò. Che quantunque non molte dell' vna e dell' altra ſe ne veggano date alla ſtampa, gran copia nondimeno ne rimane ſcritta a penna di amendue, nè poſſono venire ancora in publico, perche non furono da lui mai rilimate e rilette per vn tal difetto che hebbe, congionto con tanta eccellenza di ſcriuere in proſa e di poetare. Fu il compor di lui impetuoſo, e quaſi tempeſtoſo, tutto tirato ad vn tempo, ne mai ſi riuolgeua in dietro a lambire e ripolire il primo parto, ma piu toſto ſarebbe ritornato a far nuoua compoſizione ſopra l'iſteſſo ſoggetto, onde auueniua che molte coſe non conduceua, molte già condotte laſciaua così come nel primo getto l'hauea tolte dalla fornace: diffetto credo io cagionato dal gran bollore de' fantaſmi, e da vn' inquieto Mercurio che per ſouerchio calore non ſi fermaua. Ma perche queſta ſua difettuoſa qualità mi porge occaſione d' incominciare a diffendere il Criſpo di lui opera per mio auuiſo piu compiuta, e piu condotta che egli faceſſe, mi rimarrò di più dire in queſto propoſito, e darò principio alla prima difeſa &c.

So-

Sonetto del Caualier Marino Al P. Bernardino Stefonio della Compagnia di Gieſù Poeta, & oratore chiariſſimo.

E La penna, e la lingua hai ſparſa e piena
Di dolcezza, e di gratia: è queſta e quella,
O ſe ſcriue, STEPHONIO, o ſe fauella;
Di par ti moſtra a noi Cigno, e Sirena.
L'vna Apollo ſoſtien e con tal vena
Muoue; che già per te men chiara e bella
I dorati cothurni a la nouella
Cede l'antica homai Tragica ſcena:
Nell'altra poi che da Mercurio è retta
Mirabil Dea, poſsente Dea s'aſconde,
Che dolcemente fulmina e ſaetta:
E mentre in note oltre ogni ſtil faconde
Hor n'inſegna, hor n'infiãma, & hor n'alletta
Stilla mel, pioue latte, oro diffonde.

His encomijs addi poſset VINCENTII GVINISII Allocutio X. in qua Stephonij mors deploratur, & eius laudum ſumma deſcribitur: nec non ALEXANDRI DONATI in eiuſdem obitu laudatrix querela: ſed cum iam Typis euulgatæ horum Auctorum lucubrationes ob ſtyli præſtantiam omnium ma[illegible]bus terantur; diutius te, lector, non moror.

OPE-

POETAE PROTESTATIO.

SI quando in meis carminibus Deiparam Virginem, Deam voco; in eo ſenſu voco, quo Filij Dei *pſal.* 81. Dij appellantur. Sanè, ſi, vt Chriſtus ait *Io* 10. merito vocantur Dij ad quos ſermo Dei factus eſt; quanto magis B. Virgo in qua Verbum Dei caro factum eſt.

Dum Numina nonnunquam vſurpo in numero multitudinis; intelligo eiuſdem, vnius Dei iudicia, volitiones, attributa diuerſa non in ſe, ſed in ordine & per comparationem ad obiecta diuerſa: vel ſupernorum ſpirituum Angelicas mentes per quas Deus hæc inferiora gubernat, ac regit.

In Poemate inſcripto *Diræ* imprecor Herodi, ac poſteris mala non ſolum *pœnæ*, ſed etiam *culpæ*, quod homini chriſtiano licere non videtur. loquor quo pacto de malis penæ explicat D. Th. ſententias Prophetarum mala pœnæ imprecantium *per modum pronunciationis non optationis, & ſecundum quod Prophetæ ſolent in figura imprecantis futura prædicere.* quæ ſunt verba S Thom 2.2. q. 25. a. 8 ad 3. loquentis de malis pœnæ: & me in omnibus ijs imprecationibus vatem egiſſe non obſcurè ſignifico illo verſiculo.

Eueniat. mihi certa Deus præſagia mouit.

Vno verbo poeticè ſcribo: catholicè ſentio: Poetæ appellationem non contemno, Chriſtiani magis amo.

Goſ-

Digitized by Google

Goſuuinus Nickel Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis

CVm poſthuma P. Bernardini Stephonij, dum viueret, Societatis noſtræ Sacerdotis carmina, aliquot eiusdem Societatis Religioſi recognouerint, atq; in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt typis mandentur. ſi ita ijs, ad quos pertinet videbitur: cuius rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloq; noſtro munitas damus Romæ 3. Decembris 1654.

Goſuuinus Nickel.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſsimo P. Mag. Sac. Pal. Apoſtol.

M. A. Oddus Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Saluator Pagliarus Reuerendiſs. P. Magiſter Sac. Pal. Ord. Præd. Socius.

Digitized by Google

IN DIEM NASCENTI

B. VIRGINI SACRVM.

CARMEN I.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

HVnc cecinere diem Vatum præſaga futuri
Carmina , nec fallax vnquam cortina Parentum :
Hunc ſore , qui magnis olim labentibus annis
Incipiens , priſcum menſes reuocaret in aurum ;
Rurſus vt a primo traherent exordia Mundo.
Euenere ; Tuis VIRGO natalibus aſtra
Aurea ſubriſere : tibi fulgentia vulgò
Agmina cælituum plaudunt : tibi dædala Tellus
Mollia ſuffulcit vario cunabula flore .
Aethereo ſed enim talis Virguncula vultu
Tali mente iubar materno promit ab orbe :
Qualis , vbi oceano niueos perfuſa lacertos
Purpureis velata roſis , reſoluta nitores
Aeternos , rutilis vehitur Tithonia bigis :
Sidera cum fugiunt , & rareſcentibus vmbris
Cœpit , & afflatis ſtellis , albeſcere cælum ..
  Qualis erythræa pulcherrima margaris vnda
Fluctuat , & geminis conchis adapertilis ardet ;
Cautibus aſperior , nitidis iactantior aſtris.
Illa natans , fluctuque ſalum , ſplendore laceſſens
Sidera , fert pelago nuribus geſtamen honeſtum.

Auſonijs, vel quod cydaris flauente metallo
Ambiat, aut viridi quod iaſpide Medus adoptet.
Qualia corycio, ſub luce, roſaria ſaltu,
Corycio, vel acidalio, pubentia rupto
Cortice ſupremi calicis, fulgentis honorem
Verticis attollunt, mulcent & odoribus auras,
Multi quæ pueri, multæ quæ mane puellæ
Vngue metunt cupide, ſertiſque recentibus addunt.
Qualis ab occiduo nauis, vel littore rubro
Ingenti nitens ſub pondere grata per vndas
Dona laboratæ Cereris ſubuectat: it auro
Carbaſeos virgata ſinus, argentea funes;
Et liquidi vada ſalſa ſali ſecat, vſa ſecundo
Flamine: cum geminas æquatis cornibus alas
Explicat: a tergo glomerata remurmurat vnda:
Findit fronte ſalum, ſpumantemque eruit æſtum,
Impoſita ſub mole gemens: tum clamor ad auras,
Conſpecta tellure procul, labente carina,
Nauticus ingeminat, reſponſant obuia latè
Littora: conceptis dant ignibus ænea plauſum,
Horriſonumque cient imitata tonitrua cælum.
Illa vehens quicquid vel meſſe lybiſſide legit;
Vel ſeptemgemino nutriuit gurgite Nilus.
Adnatat interea, & pleno ſubit oſtia velo.
Qualis, vbi procul arma micāt, procul ære canoro
Increpuere tubæ; geminis exercitus alis
Diſſerit inſtructas lunata fronte phalangas:
Stat longis horrens haſtis ærata Iuuentus,
Et late campos, & inundat lumine montes;
Aere laceſſito, ſonipes vix paſſus habenas
Infremit: & frænis ſpumans iraſcitur aureis,
Seſſoremque quatit. ſpecie nil lætius illa,
Dum numerum legio, ſeruant diſcrimina morem;
Et diſtincta phalanx, & formoſiſſimus ordo.
Per-

Digitized by Google

Peruia dum partes lucet via ſecta per omnes;
Et zephyri vexilla leues applauſa remulcent,
Integra; nec ſciſſo exululat diſcordia panno.
Et ferus ille canor nondum fera pectora miſcet,
Sanguinea necdum confundit vulnera rixa.
Qualis vbi dono formæ defenſa nitentis
Impauidos greſſus mulier per caſtra ferebat
Aſſyrij Iuditta caput meſſura Tyranni.
Gratia cui multo depinxerat ora lepore,
Eloquijque ſales facilis, riſuſque decenti
Maieſtate graues: vndant diffuſilis auri
Flauentes errore comæ, zephyroque procaci
Tortilis alludit per eburnea colla capillus.
Indica bacca aures, digitos accendit iaſpis,
Armillæ palmas, triplici torquata monili
Colla cyclas: varioque pedes talaria ſocco.
Ardet & intextis amaranthis, candet achantho
Veſtis, & vndoſo lambit veſtigia limbo.
Illam Ductores, illam mirantur euntem
Hinc, atque hinc acies: muſſat Rex ipſe, Puellæ
Ora tuens, totoque animo deperditus hæret,
Hæret, & infelix trahit ima per oſſa furorem.
At non talis erat, cum Regis acinace rapto,
Inſidijſque aggreſſa Ducem, prætoria luctu
Miſcuit, & fœdo populatum vertice truncum
Liquit humi, eiectantem animam, fluctuſque cruentos.
Talis erat: cũ parua diem placidiſſima VIRGO
Hauſit, & optato patefecit lumine mundum.
Ergo non aliàs naturæ plura gementi
Gaudia, nec Superis manarunt plura beatis.
Nam Superum quà porta patet, (quæ gemmea cœlo
Dicitur, & crebris teritur celebrata triumphis)

Si quando (quod ſæpe ſolent) monumenta laborē
Difficili ſudata Ducum, belliquе trophæa
Ad ſua cæleſtes reuehunt Capitolia ciues:
Hac ſuperum glomerata manus per inane volucrem
Ad terras meditata viam (nam iuſſa volentem
Vrgent æqua PATRIS) reuoluto cardine mundi
Poſtibus effundit varias bipatentibus vndas
Conueniunt, quibus acer amor ſublime Parentis
Cogere concilium, ſolio propiore nec arcet.
Quod iubar excipiunt alacres e ſede propinqua
Numinis immenſi: non indeiecta nitorem
Suſtinet obtutus acie defixa pauentes.
Et quibus excubiæ rerum, Mundique minoris,
Arbitriumque datum generatim ſæcla tuendi,
Quæque globos agitant Animæ, volucrique rotatu
Aſſidue verſant radiata volumina Cæli.
Scilicet hinc ſuſæ per ſubdita corpora vires
Vndique fœcundant genitalia ſemina rerum:
Hinc varios vultus, varios induta colores
Inferior Natura, vices ex ordine mutat.
Quæque faces late rapidas, igneſque liquentes,
Aëreoſque tenent tractus: quæ ſpumea torui
Regna maris, liquidoſque amnes, fonteſq; lacuſq;
Quæ nemorum ſaltus: quæ deuia tecta ferarum;
Quæ genus omne regūt volucrū, genus omne natātū;
Oppida quæ lætis florentia ciuibus augent,
Et late populos, & Regum ſceptra tuentur,
Perpetuaque vrbes æternant prole caducas.
Mox Animas ægræ defunctas lumine vitæ,
Vt meruere, pias ſtellata in ſede reponunt.
Tu quoque, cui magnum defenſi gloria cæli
Et decus, & nomen peperit; cum ſæua frementes,
Regnaque turbantes acies diſcordibus armis,
Voluenteſque nefas, & cuncta per aſtra furentes,
De-

Deſuper intentans ferrum fatale, premebas
Victor, & obſeſſo pauidas Aquilone fugabas.
Hinc & Erytreæ quondam tibi ſumma Thiaræ
Credita per populos: hinc & tutela coronæ
Tergeminæ, quæ nunc terras, quæ protegit aſtra,
Imperium patrio magnum quæ claudit olympo.
Salue hominum, ſalue Superum fortiſſime vindex,
O Erebi terror ſalue, ter maxime Ductor.
En ades, & Romæ minitantes arcibus hoſtes
Oppoſito, quod ſæpe ſoles, vmbone repelle;
Odryſiæque facem Lunæ, quæ lumine ſæuo
Omnia contriſtat, dextræ fulgore retunde.
Et Iuuenem primo pubentem flore iuuentæ,
Bactoridem Iuuenem præſenti numine firma;
Cui coniuratus Tyberi circumfluus Iſter
Militat, & Thracas gyro breuiore coercet.
  Interea raucum dum ſuſcitat arma metallum,
Nos leuiore lyra, cunas haud mollia iuſſa,
Virginis, & Superum plauſus repetamus, & orſa.
  Eſt locus in Cæli medius regione ſerena
Diues opum variarum, & felix vbere læto:
Quem flauo ſeptena rigant circumſona lapſu
Flumina, nec dubio Mæander adæſtuat auro.
Auro ripa ſonat: vernat lita ripa ſmaragdo.
Obſcurum nemus vlterius ſyluiſque coruſcis
Scena viret, pronaq; Amnem ſuper imminet vmbra.
Prouentu grauis ingenti defeſſa laborat,
Nec ſua poma, ſuas nec opes iam ſuſtinet arbor.
At fœtus varij toties per certa recurrunt
Tempora, quot circum menſes euoluitur annus.
Et dum pube vigent, dum poma rubentia pendent,
Maturo grauis autumno dum ſylua fatiſcit:
Iam tum læta nouum in florem ſe ſe induit arbor,
Iam tumido gemmant rupto internodia libro.

Digitized by Google

Prædita ſed ſucco vitali poma feruntur,
Qui virides annos, virides in corpore ſenſus
Poſſit, & æterna ſenium renouare iuuenta.
Hic decor, hic Virtus, hic primo Gratia flore,
Hic Honor, hic omnes poſuere ſedilia laudes:
Gaudia, feſtiui Riſus, Concordia, Cantus,
Ingenuuſque Pudor, Candorq; Aequumque, Fideſq;
Et ſecura Quies, his gratior alma Voluptas.
Quin etiam poſtquam cunctorum cauſſa malorum,
Immemor ah Mater decerpſit ab arbore fœtus,
Qui genus & ſeros lædunt a ſtirpe nepotes:
Protinus huc laudes, innoxia lumina, terris
Deſertis, iter intendunt per nubila pennis.
Heu laudes, illæ laudes, quibus orba parentum
Crimine Poſteritas, ſcelerum ſub faſce laborat.
Hinc adeo Michaël ad cunas Virginis acto
Agmine, ſidereas hortatus voce cohortes:
En, ait, vnanimes cœleſtia templa ſorores
Linquite, quod Genitor primo deducit ab æuo;
Quod Superi prima curant ab origine Mundi;
Tempus adeſt: cælo terras mutate relicto:
Ite Deæ: dignis tandem globus ille receptat
Vltimus hoſpitijs. ne vos morer, illa ſub auras
Exoritur VIRGO, quam tota mente tot annos
Omnibus exoptat votis dotalis Olympus.
Hæc vbi dicta; fores templi patuere ſonoræ
Ilicet in numerum Virtutum lucidus ordo
Explicita legione ruit: Zephyriſque vocatis
Sidereaſque plagas tranat, tractuſque profundos
Aetheris, & volucri deſignat nubila gyro.
Quam multæ ſubeunt, ſtellas vbi Luna recenſet
Menſtrua: ſi quando cœlo taciturna ſereno
Aethera per magnum celebrat de more choreas.
Hoc numero ſtellata manus de vertice cæli
La-

Labitur, & varijs fulgens circumſtrepit alis.
Et iam demiſſis delibrant corpora pennis:
Iam figunt tellure pedem: iam conſcia magni
Partus tecta petunt, pulchra ſub imagine formæ:
Iam circumfuſæ cunas lucente corona,
Denſæ humeris, alacres animis, auguſta Puellæ
Oſcula delibant, magnaque ex indole pendent.
Vt quondam ſtrident pennis tentoria circum,
Circum Aquilam ductoris apes: vbi vere tepenti
Exigui complent aut cerea caſtra Quirites:
Cruribus aut nexis per mutua, frondea denſi
Tecta tenent, longoque breues examine pendent.
Hic interpicto circumdata Gratia peplo,
Læta genas, effuſa comas, ſuccinta mamillas,
Diuitijs animoſa ſuis, in VIRGINE Virgo
Saucia ſuſpirans, magno præcordia ſenſu
Ebria, cæleſtes quiddam interfata Sorores,
Ludit, & admota pellit cunabula dextra.
Quiddam voce ſonat, quiddam Dea murmurat ore.
Dum canit, & tenero detexit carmine laudes
Virginis, arridet ridenti Pupa Puellæ;
Ridet Honor, ridet Virtus, ridetis Amores.
Dum natat, & tyrio diſtinctus fluctuat oſtro
Lectulus; hæc niueos ſomno declinat ocellos;
Dormit Honor, dormit Virtus, dormitis Amores:
Si ſopor excuſſus vigilantia lumina liquit,
Vbera ſi ſuxit preſſis admota labellis:
Suxit Honor, ſuxit Virtus, ſuxiſtis Amores.
Si Patris, aut Matris traiecit lumine pectus,
Dum patris, aut matris collo feſtiua pependit;
Pendet Honor, pendet Virtus, pendetis Amores.
Oſcula ſi matri, ſi fixit & oſcula patri,
Spiret vt ardentes in corda per oſcula flammas;
Spirat Honor, ſpirat Virtus, ſpiratis Amores.

Digitized by Google

Naturæ ſi cura ſubit, ſi cura nepotum
Vrit adhuc teneram, dum culpæ neſcia vagit;
Vagit Honor, vagit Virtus, vagitis Amores.
At dolor excitas lacrymas dum voluit ocellis
Non ſuus, & tereti gemmant duo ſidera rore;
Gemmat Honor, gemmat Virtus, gemmatis Amores.
Denique quicquid agit gaudens pulchella, dolenſue;
Hoc Honor, hoc Virtus agit, hoc imitãtur Amores.
Interea placidum ſuadet dum Gratia ſomnum,
Aſſenſuque fauent Diuæ, fibræque loquacis
Conticuere lyræ; cantu ſic ora reſoluit.
Nænia da lallas, bellas da Nænia lallas;
Dum Bellæ dubius ſerpit per lumina ſomnus:
Nænia da Bellæ bellas da Nænia lallas:
Et tu Bella faue, ridentia lumina conde.
Nænia dat lallas. dormi belliſſima dormi.
Si Superi tibi cuncta trahunt, & cuncta benigne
Expediet Genitor; fulgent ſi purius aſtra
Cuncta tibi, nutuque tuo, Regina, laborant
Omnia; ne vigiles curas ſub corde volutes.
Hæc alij faciant. dormi belliſſima dormi.
Cum tibi ſit meritò nullius cauſa doloris;
Et genitale notam nullam tibi crimen inurat;
Eijce, quas pariunt genitalia crimina curas:
Non tu digna genas tali corrumpere fletu,
Hæc alij faciant: dormi belliſſima dormi.
En tibi blanditur naſcenti Gratia præſens,
En tenero Virtus effingit pollice mores:
En tibi componit mentem tranquilla voluptas:
Aëra plaudentem vagitu rumpere noli.
Hæc alij faciant. dormi belliſſima dormi.
Qui genus humanum, perfuſa tabe veneni;
Nexilis adſtringens ſpiris circumplicat Anguis:
Nunc exarmato lernæa dente ſaliua

In-

Innocuus ; fruſtra tentat tibi lædere plantam,
Hunc alij paucant. dormi belliſſima dormi.
Tum vos hinc aliò febres auertite greſſum,
Exitiale genus morborum, præmia culpæ:
Hoc omnes alio deflectite limine peſtes;
Vos huc nulla vocat ſynceræ noxa Puellæ.
Eſte procul, fugiunt: dormi belliſſima dormi.
Quà licet, innocuæ noceant ne frigora Pupæ,
Parciùs incumbant Boreæ, clementiùs Euri.
Intepeat feruens gelidis aquilonibus æſtas:
Leniùs aſpiret genitabilis aura fauoni.
Leniùs adſpirat. dormi belliſſima dormi.
Pulchrior o pulchra genitrice Puella, papillis
Elice, quo turgent, vitalem bellula rorem:
Pabula da vitæ; creſcendi ſuffice cauſam:
Creſcet Honor, creſcet Virtus, creſcetis Amores:
Hoc bene creuiſtis: dormi belliſſima dormi.
Quod decet, & multis orabis Diua querelis;
Iam nunc poſce Patrem pacem mortalibus ægris.
Non tibi tota venis: pars eſt data tertia Cœlo:
Tertia pars Terris; tua pars eſt tertia, Virgo.
Tota Dei potius. dormi belliſſima dormi.
Aucta tuo iam ſurge Deo: Sapientia tecum
Surget, & æquales æuo ſurgetis Honores.
Iam melius quiddam de te ſibi ſæcula narrant:
Iam Deus ex iſta deducit mente ſalutem.
Non datur hoc alijs. Dormi belliſſima dormi.
Teſtis erit ſolis Bethlemia rupibus ora
Deuia; brumalique caſa opportuna rigori;
Pignus vbi ponet fœcundæ Virginis aluus,
Virginis intactæ pignus, quod ſidera poſcunt.
Non datur hoc alijs; dormi belliſſima dormi.
Teſtis erit crinita iubis ardentibus orbi
Stella nouo exoriens, cunarum fida ſacrarum

Nuncia : cum diues ſepteno flumine Ganges
Sub tua iura fluet, Iordanis cæruleus fons.
Non datur hoc alijs : dormi belliſſima dormi.
Teſtis erit cœlo referens cunabula Nilus,
Quæque bouem inuento Memphiten plangit Oſiri
Hoſpita terra tibi : tum cum face percitus iræ
Barbarus innocuo Rachelem ſanguine merget.
Non datur hoc alijs. dormi belliſſima dormi.
Teſtis erit flauus, labens per Romula Tybris
Mœnia, cunctarum Tybris dominator aquarum,
Oceanique idem Rector : cum maxima centum
Nato templa tuo, centum tibi maxima ponet.
Non datur hoc alijs. dormi belliſſima dormi.
Hæc adeo, quæ luce tua nunc fulgurat Aedes,
Teſtis erit : quæ Nazarea de ſede refixa,
Aligerumque elata manu, ſublimè per auras
Vecta, procul ſidet, quà bracchia porrigit Ancon :
Porrigit, & iam nunc incuruum lunat in arcum
Littora, de pario deſcribens marmore templum.
Templum ingens, donis opulentum, Numine mirũ;
Exiguam magnis amplexum mœnibus Aedem
Cuncta tibi ſedes linquens, vrbeſque beatas,
Italia alma choris, & crebris læta choreis,
Agminibus longis puerorum, & nexa puellarum
Occurret, teſtata tuos, Regina, pudores.
Ipſa tuis præſens indulgens laudibus vltro
Dona feram. iam nunc ſeros accire nepotes
Ad delubra iuuat : totoque ex orbe coactis
Ordinibus late ſolemnes ducere pompas
Aut ſpectare, tuis vt ſupplex affluat aris,
Et memor acceptæ figat monumenta ſalutis :
Aut fleat, vt mœrens admiſſa piacula longa
Luce miſer, longas integrans nocte querelas.
Non datur hoc alijs : dormi belliſſima dormi.

O Vir-

O Virgo, ſuperum Virgo digniſſima cura:
Quam tibi ſelici ducuntur ſæcula filo!
Creſce Deo Virgo, creſcet ſapientia tecum,
Creſcet Amor, creſcet Virtus, creſcetis Honores.
Non datur hoc alijs: dormi belliſſima dormi.
Feſſa natant dubio, niſi fallor, lumina ſomno:
Tange chelym Michaël, & ſomno lumina certo
Obrue: tange chelym. dormit belliſſima dormit.
Vt cubat! vt placido ducit ſuſpiria corde!
Nec datur hoc alijs. dormi belliſſima dormi.
Suſcitet hanc nemo: donec velet ipſa, quieſcat.
Hæc ait: & ſenſim rapit oſcula, verba repreſſit.

Digitized by Google

IN DIEM SALVTATÆ AB ANGELO
B. VIRGINI
SACRVM.

CARMEN II.

AVdior? an numeros referentem VIRGINIS, ipſi
Auditæ (ſic aiunt) Deo, faſtidit ineptè
Inferior natura? Vacat; faſtidia damnat:
Et ſedet, & bibulas admouit vocibus aures,
Picturata ſinum, vultu tranquilla ſereno.
Audior. En facili blanditur Gratia riſu,
Aurea quæ cœlo fulget, quæ geminea terris;
En vocat, & Zephyris alludit læta vocatis;
Et genia e nitens, tenera laſciuit in herba.
Ila ſerenato deterſit nubila cœlo:
Illa iubet raucos agitare ſilentia nimbos
Maieſtate manus, tempeſtateſque furentes
Increpat. inſani poſuerunt murmura Cauri:
Imbriferi ſiluere Noti, ſiluere procellæ,
Et maris æquato ridet pellacia fluctu.
En metit vngue ſuos, quos educat ipſa, colores:
Floribus en mammas cingit vernantibus; aureum
Floribus incinctum caput exſerit: ore voluptas
Viua ſedet; geminas ſcintillant lumina flammas,
Lumina, quæ blandum ſpirant in pectora ſenſum.
Nunc, quando Natura fauet; nunc vena ſolutos
Felix funde modos. non ipſe benigniùs vndas
Nilus agat, Nilus referens cunabula cœlo:
Par erat ad cantus aures aduertere Romam,
Quæ tenuere Notos, Boreas tenuere procaces,
Quæ requieſſe ferunt immoto ſidera mundo,
Quæ Patris memores clementia mollijt iras:

Dum vacat auritum, modulataque ſidera cælum
Pellit, & vndenos modulis attemperat orbes
VIRGO tuis, quibus ipſa tuas tibi, neſcia, laudes
Accinis, haud alio laudari dignior ore.
Tempus erat, quo purpureis Aurora roſetis
Pollice demeſſis, textas de more corollas
Induit, & geminat natiuum verticis aurum:
Quo caput inſertum gemmis florentibus effert;
Et vocat alma diem, cum cæli lucida cogit
Agmina; cum tereti pellucent gramina rore;
Et nemus obloquitur Zephyro, cum fronde loquaci
Obſtrepit: & ſyluis clementi ſibilus aura
Ingruit, & leni fluctus exaſperat ira,
Leniter irata criſpati marmoris vnda:
Nec minus interea rigidi defuncta grabati
Diua ſopore breui, cæli matrona, Parentis
VIRGO futura Parens, excitos abluit artus:
Et quæ corde Deum penitus traiecta, bibiſſet:
Infixiſque animis altum traxiſſet amorem:
Rite preces præfata, comas neglecta, rubentes
Interfuſa genas, oculos deiecta pudicos:
Et gemino ſubnixa genu iaculatur ad aſtra
Pectora, ſe melior, ſe VIRGO maior, & aucta
Vberiore Deo, quem totas ſaucia noctes,
Atque dies ſuſpirat amans ex ordine totos
Et duplices ſic iuncta manus, pennata noueno
Agmina cenſa choro luſtrat, totumque pererrat
Mente polum: cœlo, quàm terris notior; ipſis
Par Superis; ſimiliſque Deo, cui pectora fingit,
Cui dicat, & nullo temerandum tempore florem
Virginis intactæ ſacrat, quem denique toto
Pectore, toto inhiat VIRGO deperdita ſenſu.
Ac ſimul incaluit, caſtoque cupidine caſtus
Motus amor patrium menti patefecit Olympum:

Obtulit obiectum ſpectacula mira theatrum.
Tergemino nam læta Deo, nec faſſa tumultum,
Congeriemque Dei, tacito ſub corde putabat:
Vt Deus haud alia, ſe præter, origine Numen
Emicat immenſum; magnoque exæſtuat auctu:
Qualis ab immenſo Soboles immenſa Parente
Effluit, & ſimili Genitor ſibi pignore gaudet:
Rurſus vt ad ſimilem Genitorem verſa recurrit
Progenies, ſimiliſque calet Genitoris amore:
Vt Pater, vt Soboles alternæ incendia flammæ
Miſcet, & alternum redamando expirat Amantem,
Et Patris, & Sobolis ſimilem, mediumque per ambos
Currentem, Sobolique Patrem, Sobolemq; Parenti
Fœdere nectentem, tum vulnera grata ferentem.
Aequæuum, immenſum, ſpirabile Numen Amoris;
Ambobus geniale bonum, Sobolique, Patrique.
Nec quia tam pleno toties exuberat æſtu
Sinceri natura boni, tranquilla voluptas,
Numinis vbertas; augetur turba Deorum.
Vnum Numen idem tribus eſt, tribus vna poteſtas
Vna tribus natura Dei, tribus vna voluntas,
Maieſtas tribus vna, Deus ter dicitur vnus.
Quem dare regna pijs, Erebo mulctare nocentes,
Didita per cunctas fundentem munera partes,
Cuncta amplectentem, & cælum, terraſque regentem
Aſpicit, & nexu fuluo ad ſe cuncta trahentem.
Hæc animis poſtquam ſpectacula Numinis hauſit
Diua potita Deo (generis cui ſæpe recurſat
Aegri cura ſui) terræ miſerata labores,
Et ſæcli miſerata nefas; de ſede ſerena
Deijcit ad terras oculos, qui nubila pellunt,
Qui mare, qui terras hilarant: tum mæſta peragrat
Brutum mente globum, ruituras deſpicit vrbes,
Deſpicit oblitos animos natalis olympi,
Na-

Naturamque graui ſcelerum ſub faſce gementem,
Obiectamque malis, heu quantis! pectora, mores
Inſpicit, & vitæ palantis ſæcla recenſet.
Heu dolor! Has ergo clades, has aſpicis, inquit,
Aſpicis, atque operis tandem te nulla remordet
Cura tui, Genitor, rerum inuiolata poteſtas?
Vena boni liuore carens, tibi plena voluptas,
Et Deus ipſe tui. Natorum damna Parentem
Nulla mouent? Superis natos auertet Auernus?
Occidit, occideritque (ſines) cum ſtirpe Propago?
Non tua, quem dederat clementia, reddet honorem?
Non amor, accendunt quam fraudes, opprimet iram?
Condita regna tibi, tibi debita regna ſuperbus
Miſceat, & ſpreto populetur Numine prædo?
Quas ſcelus auerſas rapit in contraria mentes,
Sorbuit, æternùm ſorbebit, Diue, baratrum?
Irritus amiſſam generis ſpem cernet olympus?
Exuuijſne tuis pleno ſe carcere iactet
Improbus? aggeſtis conſtipet laxa rapinis
Tartara? Tu vacua regnes eluſus in Aula?
Quin etiam ſobolem Genitoris imagine ductam
Fingis ad exemplum: vultus conuertis ad aſtra:
Suſpectare iubes cognati ſidera cæli.
Sidera quid prodeſt, oro, conuexa tueri?
Quid tua regna iuuat ſublimi cernere vultu?
Auia ſi longe via diuidit inuia Regna?
Si tua non ſperet, quæ ſpectat, Regna Propago?
Cur ſpectanda dares, ſi non ſperanda dediſſes?
Si ſperanda dabas; cur irrita fallit imago,
Quos animos patrij irritat conſpectus olympi?
Hæc ſteterat (memini) quondam ſententia cordi,
Vt genus humanum patrijs ſuccederet aſtris;
Et ſpoliata ſuo compleres ſidera cœtu.
Si manet, & nunquam retro ſententia verſa eſt;

Cur

Cur tua facta poteſt quiſquam diffingere? Teque;
Arguit, atque tuis, condit noua facta, ſolutis?
Te per ego has lacrymas, Genitor, per iuſta mouere
Sidera mortales: per magni Numen amoris,
Per Sobolis numen, per numen dulce Parentis:
Regna per erepti teſtor pendentia cæli;
Flectere iam longis, iam flectere cladibus oro.
Reſpice res hominum fractas: miſerare videndo
Seruitio preſſos natos Pater: annue terris:
Te, Sobolem, euerſum vindex vlciſcere Regnum.
Bellipotens haſtile manu confringe latronis:
Ipſum affige ſolo pronum; tua ſentiat arma
Irritus, aque tuis excedat bellua regnis.
Regnator Superum, rerum ſator, Arbiter orbis,
Adſis o tandem, & propius res aſpice noſtras.
Hæc ait, & liquidæ rubefacta per ora volutæ
Decurrunt gemmæ, gemmæ quibus India longè
Ceſſerit, & latè diues non certet Idaſpes:
Queis emit illa Deum, dotalem expugnat olympum.
His Genitor victus lacrymis ſe dedidit vltro,
Et tandem veteres de pectore diſpulit iras.
Tum tenero Diuæ labefecit pectora motu:
Obductamque oculis mortalibus amouet vmbram;
Et quæ deinde trahat, quæ duxerit ordia retro,
Explicat: vt Verbum non enarrabile quantum
Fonte cadat patrio, quantum complectitur orbem.
Virginis illæſæ (nec longum tempus) in aluum
Influat, & Numen morituro corpore claudat:
Non dedignatum cælo præponere terras:
Non ſtrepitus inter curarum degere vitam:
Non cælo Patrem, Matrem ſub ſole vocare.
Obſtupuit Virgo non intellecta Puellæ
Munera miſſa polo; & decus admirabile Matris,
Virgine nil tacta. tum toto pectore in vnam
Incum-

Incumbens, prono retinacula ſoluit amori.
Hanc cupit, hanc Virgo iam tum miratur, & ambit;
Hanc veneratur amans, & ſe veneratur in illa;
Et neſcit; totoque ignotam ignara recepit
Corde Deam: quam mente colit, quam deperit vnā;
Cui ſtudet aſſiduo famulari ſerua labore,
Candida detergens famulis veſtigia limphis,
Millia deterſis inſigens oſcula plantis.
Ergo vbi diuina ſeclusit imagine mentem;
Et varium cupidæ ſubduxit ſcena theatrum
Abdita, fœcundæ rata Virginis aſtore tempus:
Dona parat, ſacræ quondam monumenta Puellæ;
Quæ rerum Dominæ ſeruæ teſtentur amorem.
Textile munus erat, decus haud imitabile telæ.
Docta, nec illud opus Sidonia fœmina texit;
Non Belgæ pinxere Nurus, neuere Sophenæ.
Ementita Marem nil tale Semiramis olim:
Hyppolite nil tale, mares exoſa, gerebat:
Non Iuditta necem ſæui molita tyranni,
Non Heſter populi excidium amolita cruentum:
Illa cruore facem, hæc reſtinguere fletibus orſa;
Altera fiſa manu, victura ſed altera lingua;
Vtraque natiuam ſolers expingere formam,
Illecebriſque animos, oculos accendere cultu.
Illic ſcribit acu, veterem qua lege tumultum
Ille Sator Mundi per conſona membra redactum;
In ſua deſcriptum ſuccedere regna coegit.
Vrget opus Genitor: nec dum libramine Mundum
Ponderat immenſum geminos examen in axes:
Necdum multiplices operis formauerat orbes:
Nondum Terra ſua tenuit ſe mole: nec Vnda
Fluxerat: a medio nondum leuiora volarant;
Cum Pater ætherea perculſus Virgine gaudet:
Cum placet ipſe ſibi, teneroque indulget amori.

Inſi-

Inſidet. Illa chaos glomeratum molis in orbem
Nocte intempeſtum, atque atra caligine denſum.
Virginis e flauis abſiſtit crinibus ignis
Aureus, & claro rareſcunt omnia vultu.
Olli lætus honos, olli flos viuidus oris
Afflat, & æternùm ridens in luce iuuentas:
Et geminæ ſurgunt humeris fulgentibus alæ,
Alæ interpunctæ maculis ſtellantibus: auri
Quarum ſumma leui flauent infecta colore.
Dextrum Luna pedem lambit ſubiecta: ſiniſtrum
Appetit inſidijs, ſed non feliciter, Anguis:,
Exterit illa caput; cauda caput ille remulcet
Tortilis, & fruſtra ſeptena volumina verſat.
Dentibus excuſſum, ſeneſum bellua pomum
Abijcit, & demum non omnia vincere diſcit.
Stat iuxta longæua parens Natura, ſeniles
Perſulcata genas: vertex niue candicat albus:
Et centumgemino mammas ſuccincta colubro
Corde premit curam, lento ſuffecta veneno;
Læta tamen, quantùm patitur dolor: ora Puellæ
Suſpicit, & curas illi narrare videtur,
Auſa Parens Natæ ſperare ex indole vitam.
Aduolitant animæ matrem circumque, ſupraque
(Infelix heu turba) vagæ, macieque peremptæ,
Horridulæ, tenues, & dio lumine caſſæ:
Quas miſerata Parens oculis in Virgine fixis
Oſtendit lacrymans: iures, orare dolentem,
Et veros queſtus, veros effundere fletus.
Et niſi vana fides oculis, queriturque, doletque,
Et gemit, & narrat transfixi vulnera cordis.
At parte ex alia lætanti Gratia cætu
Inſinuat ſe ſe facilis, tacitiſque pererrat
Luminibus tacitam, gremioque ſoluta benignè
Omnes fundit opes. Illi Riſuſque, Iocuſque
Ag-

Agglomerant ſe ſe, & Virtus, & blanda Voluptas,
Et decorum ſeries, & laudum lucidus ordo,
Conſenſuſque pius, Candorque, Bonumque, Fideſq;
Et cum Pace ſoror niueo Concordia lymbo,
Et placidi Mores, & maieſtate ſeueri,
Et Pietas motura Deum, cælumque datura,
Inceſſuque Deo propior Sapientia veri:
Et Puer, alarum qui verbere nubila findit.
Præpetis huic pennæ textum nitet interpictum;
Interpicta nitet veſtis, coma ducitur auro,
Atque humeris infuſa leui motatur ab aura.
Ex humero neruos, arcus ſuſpendit eburno,
Et pictam ex humero pharetram, grauidamq; ſagittis:
Puniceoque tegit deuinctus crura cothurno.
Eſt Amor: haud qualem mendacia priſca loquuntur,
Cæcum conſilijs, & vulnera cœca ferentem:
Sed qui cum plenos concepit Numinis ignes
Numinis inſpirat per corda petita ſagittis,
Mentibus atque acres miſcet virtutis amores.
At Pater omnipotens ingenti vulnere tactus
Aduerſæ aduerſus crocea de nube Puellæ
Currit in amplexus, & paſſis obuius vlnis,
Et cælum, & curas, arcanaque corda recludit
Gemineus, & frontem triplici diademate nexus
Noctem luce fugat: Natæ ſpem luce ſerenat.
Quem Iuuenes circum volucres, cæleſtis origo,
Et Superum ſtellata manus per nubila certatim
Attollunt humeris, & tanto pondere gaudent.
Pars ſtupet obtutu tacito mirata Puellam:
Pars agitat plantis, per mutua nexa, choreas,
Inſtituitque choros in gyrum: plurima circum
Mobilibus loquitur digitis, & carmina flectit:
Pars florum genus omne iacit: gremiumque colorat
Virginis, infuſis vernant viridaria gemmis:
Mul-

Multicolore parat pars texere flore corollas;
Errantemque humeris Diuæ religare capillum.
Ipſa Deo gauiſa, chaos premit, aurea contra
Et geminas adnota manus ad pectora, ſenſu
Ebria iucundo: tereti ceruice repoſta
Molliter æternum per pectora potat amorem:
Enthea cui nectit biſſenum tempora ſidus,
Enthea ridenti ſubrident lumina Patri.
Hic modus eſt operis. telæ ſic terminat oras
Priſca nouis Virgo contexens, vltima primis.
Quattuor exemplis exempla futura Puellæ
Quattuor effingit: veterumque haud neſcia laudum,
Artis opus miræ, diſcriminat argumentum.
Angulus vnus habet, quo pacto ſæcula fluctu
Obruit, & nimbis iuuat auxiliaribus æquor
Rex hominum, generiſque natat ſpes vna per ipſos
Montes vna domus, tot millibus vna ſuperſtes.
Hinc demiſſa volat librata columba per auras:
Huc redit, & roſtro ramum prætendit oliuæ.
Diſcolor intexta ſuccingit nubila zona
Iris, & Armenijs appellit olentibus Arcam.
Fecit & Arſinoes quaſſantem robora Moſen.
Sparſaque fluctiſonum Mareotidos arma per æquor,
Virga findit aquas; virga frœnata remittit
Aequora; materna quondam quæ ſtirpe reciſa
Induit in canum ſeſe mox arida florem.
Et te pingit acu medios, Iuditta, per hoſtes
Impauidum molita gradum; maioribus auſa
Fœmineas afferre manus, quàm fœmina poſſet.
Namque Hoſtem ingenti Patriā obſidione prementē
Aggreſſa inſidijs: ipſa ad tentoria noctu,
Ore prius præfata Deum; implacabile mactas
Prodigium, ſomno in noctem, vinoque ſepultum.
Colla manu deſecta tenens, enſemque fluentem
San-

Sanguineis guttis, ingentis conſcia facti,
Magnis arrectam ſtudijs te reddis ad vrbem.
Parte alia Aſſyrius, conſuſus imagine caſus
Diuerſis palatur agris, armiſque relictis
Ingentem prædam euectandam deſerit vrbi.
At te, lætitia circùm plaudente corona,
Concelebrant animis ciues, fremituque ſecundo.
Ipſe adeo iuuenum effuſus chorus omnis, & omnis
Turba ſenum agglomerant mediã, Matreſq; Nuruſq;
Certatimque animis victricem ad ſidera tollunt.
Succeſſu neque læta tuo, neque mœſta per vrbem
Bellatrix graderis: lætis neque vendis inanem
Exultans animum rebus: ſed pectora cœlo
Erigis: ad terras oculos demittis honeſtos.
Heſteris extremus deſcribit imagine factum
Angulus: vt ſolium Regis Regina, ſalutem
Oratura ſuis, timidè ſuccedat, vt aurei
Oſcula ſumma petat ſceptri: non illa tueri,
Non oculos audet Regem contendere contra,
Labitur infelix aſpectu territa: tollunt
Collapſam famulæ. ſolio Rex territus alto
Deſilit; & facili ſolatur voce pauentem.
Omnia viua putes: viuo ſcribuntur in actu
Corpora viua: ſuo ſpirant animata colore
Omnia; palleſcit viuo Regina timore:
Reginæ exanimis Rex pallet amore, metuque.
Non tenuit Virgo lacrymas, dum talia filo
Explicat, & vario percurrit ſtamine telam.
Hæret in ambiguo; num fletus blanda voluptas
Mouerit, & dulci liqueſecerit igne medullas
Hoſpes amor: laudeſne ſuas præſenſerit ipſa?
Anne retentarint acri præcordia cura
Sæcula? Num generis natura recurrerit ægra?
Immaduit certè lacrymis. Vt Gratia fletum

Preſ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Preſſit, & admota deterſit lumina palma;
Hæc canit inter opus tacito ſubnixa ſuſurro:
Quiddam voce ſonat, quiddam ſubmurmurat ore,
Quod Boreæque minas, Corique, Notique procellas
Continuiſſe ferunt: tacitis immobile cælum
Quo ſtetit attonitum ſtellis: ſegnique rotatu
Sidera conuoluit. Phœbi ſtupet inſcia tellus
Matura iam luce rotas non ire; dieſque
Exhortatur equos, nil profectura, morantes.
Vos etiam liquido delinit carmine Virgo
Vos tenet, æthereæ mentes: quo ſenſibus imis
Illapſo, numeros preſſere ſilentia veſtros,
Aurea nec noto ſonuerunt ſidera cantu.
Omnia muta ſilent, nerui tacuere, fideſque,
Torpet muta chelys: leui nec tibia buxo
Multiforem vario meditatur carmine vocem.
Diſparibus non æra tubis modulamine docto
Præpetibus carmen digitis decurſa loquuntur.
Non lyra, non lituus, lituo non curua recuruo
Buccina mixta ciet iucundo pectora motu.
Denique tranquillas quod pellit carmine mentes,
Quod valet irritare ſonis, cantuque mouere
Pectora, conticuit, lateque obmutuit Aether:
Et vertit cupidas ad carmina Virginis aures.
Incipit. O columen rerum, Cortina ſalutis,
O generis melior Mater, tutela ruentis
Naturæ, paritura Deum, paritura quietem.
Cæli cura recens, & cura nouiſſima Cæli,
Patris amor magni magnus, Superumque voluptas.
Salue, ſpes hominum, mundi ſpes fida labantis,
Optima ſalue iterum, Mundi pars maxima ſalue.
Accipe me famulam, vix tanto nomine dignam;
Accipe me, Virgo, cælo exoptata vocanti.
At vos quas dudum meditamur ſtamine molli,
Du-

Ducite virgineas, ſubtegmina, ducite laudes,
O decus eximium, felix o ſidus olympi
En ades, & luctu terras ſolare ſepultas.
Anne erit, vt liceat taciti tibi vulnera cordis,
Et curas narrare meas? an reddere plantis
Oſcula, ſuppoſiti quæ cæli ſidera calcant?
Quas famulis ambit radijs obnoxia Luna?
Ducite virgineas, ſubtegmina, ducite laudes.
En ades o Virgo, Genitrix o magna Parentis,
O Eua potior Mater, cui tortilis olim
Non impunè pedem quærat tetigiſſe Chelydrus.
Te Genitrix vtinam, te mundi prima tuliſſent
Sæcula; non tanto mœrerent omnia luctu:
Longa nec in ſeros iſſent tot damna nepotes.
Ducite virgineas, ſubtegmina, ducite laudes
O, Erebi terror, mundi famulantis aſylum,
Salue, magna Parens, quæ te, quæ curá moratur?
En ades, & mundo meliori funde metallo
Sæcula: te veniente dies & purior ibit,
Atque incude noua diffinget pectora virtus.
Ducite virgineas, ſubtegmina, ducite laudes.
Parua tibi magni munuſcula pignus amoris
Teximus, & tenui ſolamur ſtamine curam
Ingentem. Sed tempus erit, cum pectoris ignes,
Te dominante, mei teſtentur gaudia vultus:
Lucida cum Dominæ ſubmittet ſidera cœlum:
Cum tua terra tibi poſitis famulabitur armis:
Sceptraque purpurei ſubſternent aurea Reges:
Et quos eoo narrant nigreſcere cælo,
Et quos occiduo narrant ſub ſole calere:
Et quos arctoæ nectunt torpore pruinæ:
Et quos ſubiecit tellus feruentibus auſtris:
Et quos oceano tellus diſcluſa tumenti
Vaſta procul vaſto ſeiunxit deuia tractu:

In-

India te ſupplex dominam confeſſa vocabit.
Ducite virgineas, ſubtegmina, ducite laudes:
Illa adeo, illa Deam agnoſcet, quæ mœnibus arces
Vrbis ingentes ſeptem complectitur vna;
Felix prole virum, tot laudibus inclyta Roma;
Aſpera quæ bello, populis Regina ſubactis
Imperat, & latè victum dominatur in orbem:
Quæ terris egreſſa ſuis vix claudit olympo
Pectora, vix numerat, peperit quos ipſa, triũphos.
Illa tibi ſupplex Dominæ Regina iacebit
Maxima maiori: centum tibi templa dicabit,
Centum aras, ſacroque aras augebit honore.
Illa tuos adlapſa pedes, tibi dona quotannis
Afferet, & tacito narrabit vota labello.
Ducite virgineas, ſubtegmina, ducite laudes.
Hic pueris centum, totidem glomerata puellis
Qualis eris? qualis tota cantaberis vrbe?
Dextera cum viſes Cœlo tua templa relicto!
Cum manifeſta palam manifeſta in luce videnda,
Læta Dei partu, numerabis mille nepotes!
Omnes ſidereos, omnes regna alta tenentes!
Ducite virgineas, ſubtegmina, ducite laudes.
Hic tibi magna ſeges Genitrix adoleſcet honorum;
Blandaque virgineum tentabunt gaudia pectus;
Hinc adeo toto ſurget gens aurea mundo:
Moribus hinc melior ſe ſe mirabitur ætas.
Otia pacis erunt, & Rhenus molliùs ibit,
Ibit & Oceani ſedatum molliùs æquor,
[illegible] qui nunc Aquilis Romæ lætantur ademptis,
Imperium accipient, romanaque ſigna ſoucbunt.
Stipati circumſiſtent Parthiq; Scythæque,
Aphrique, Thraceſque, ſagittiferique Geloni,
Atque Indi, atque Arabes, & torti crine Sicambri,
Aethiopeſque aliter contorti crinibus atri:

Græ-

Digitized by Google

Græcique, Cretéſque, & feri potor Iberi,
Et Galli tandem poſituri Martis amorem.
Ducite Virgineas, ſubtegmina, ducite laudes.
Ceu ſeptemgemino in pontum cum flumine Nilus
Scindit iter, tumiduſque via non voluitur vna:
Sic tu magna Parens non vna laude futura
Nobilis, vnde genus ducis, remeabis ad aſtra.
Ipſe diem exoſus Pluto, prædaque relicta,
Infandum, horrendumque caput ſub tartara condet,
Sanguineo ore ferox frendens, domituſque catenis.
Ducite virgineas, ſubtegmina, ducite laudes.
Necnon & ſumptis armis exterrita quondam,
Auſa redire, tuos ſpectabit læta triumphos,
Et Superis Numen, Terriſque Aſtræa verendum
Tum tibi celeſtem liceat deducere pubem,
Tum libeat cæleres in multa luce choreas,
Et feſtos agitare choros; tum munera vulgo
Prodere, tum terras placida cum Virgine Virgo
(Sed tu maior eris) dediſcere bella iubebis.
En ades, & vultum ad terras iam læta retorque.
Quæ te, quæ cæli retinet iuſtiſſima cura?
En ades alma Parens. En hic tua ſæcula, Virgo
Flos hominum, generis laudes, cæleſtis origo,
Vota Patrum, rerum columen, documenta minorum,
Lux decorum, morum ſpecimen, tutela ſalutis,
Numinis alma Parens; cæli terræque Voluptas!
Hæc ludebat acu, ducto ſubtegmine Virgo:
Carmine virgineam fallens, & ſtamine curam.
Cum ſubitis ædes radijs effulgere viſæ,
Et ſubita viſum conclaue pateſcere luce,
Cardine nil moto, nil tacto poſte cubilis!
Nec dubius Volucer, multo ſub ſole ſerenus
Aſtitit, & digitus conatus multa, reſidit,
Dædala torpet acus ſubitò, variumque laboris

Labitur immortalis, opus, reuolutaque penſa
Et reuoluta iacent confuſæ ſtamina telæ.
Excipit attonitam Iuuenis; facilique pauorem
Diluit affatu: verbis dat pondera vultus,
Inceſſuſque Deo ſimilis: tum talibus infit.
 Mens quid agis? Superos etiam meditare loquētes?
Magna moues. temerè non omnibus omnia pandit
Numen. Parce modis maiora minoribus orſa
Texere. Mortali non enarranda geruntur.

DIRAE
IN HERODEM REGEM
INTERFECTOREM SS. INNOCENTVM.

CARMEN III.

INcipe: deuoueo furiali carmine Regem,
Omnia qui luctu, qui funerat omnia cæde:
Qui teneros matrum diuellit ab vbere natos,
Barbarus, innocuo ſpumant cui ſanguine rictus.
Incipe. Quid dubitas inuadere, Muſa, Tyrannum?
 Victima det iugulum: ferales imbuat aras:
Congere, quas fuſo tædas premat ipſa cruore.
Sanguinolenta ſacris rabies armata Lycambæ
Adſit, & vltrices peragat ſua ſacra per aras:
Adſit, & impreſſo tibi concidat hoſtia cultro,
Omnia quæ luctu, quæ funerat omnia cæde.
Incipe; deuoueo furiali carmine Regem.
 Audiat hæc tellus; hæc maximus audiat Aether:
Et qui tellurem circumfluus halitus ambit,

Et:

Et quæ tellurem circumſremit Amphitrite,
Tuque decus Mundi, qui nobis naſceris, Indis
Cum cadis: & nobis idem cum conderis, Indis
Naſceris: hæc audi, reſeras qui lumine, cælum:
Quo fugiente dies extinguitur, atra colores
Nox tegit, & terras humentibus occupat vmbris.
Et quæ nocturnas agis indeſeſſà quadrigas,
Fratre ſoror Dyctinna minor; Voſque aurea Mūdi
Sidera, vos aſtris oculati ardentibus orbes:
Vos, adeo ſtellis, Animæ, quæ clara rotatu
Perpetuo rapitis conuexa volumina Cæli;
Et ſua per ſpatia inuerſum conuoluitis annum;
Aethereæ Mentes, ſæcli melioris origo;
Vndè dies ſpatijs, & tempora certa recurrunt
Indeflexa ſuis: quo certo ſidere certas
Inferior Natura vices exerceat omnis.
Hinc coit in nubes, hinc cælum flumina largè
Præcipitat, terram fæcundus & irrigat humor;
Quem penitus poſtquam concepit, & ebria vēnis
Ebibit, opportuna Parens alimenta miniſtrat,
Omnigeno gremium diſcrimine picta colorum.
Munere ſi veſtro cæleſtia ſigna cientur.
Corpore felici, genitali prædita forma:
Impete quo fundunt elementa per omnia vires
Officioſa ſuas, & certo fœdere certos
Elicit, & teneros alit indulgentia fœtus;
Qua ſinè nil exit dias in luminis oras:
Nil alitur, neq;fit lætum, neq;amabile quicquam:
Adſitis: audite preces: audite querelas,
Quas dolor exagitat, quas impetus incitat iræ.
Et quoniam iuſto naſcuntur mota dolore,
Vos nolite pati rapere irrita vota procellas.
Tuque Parens Mundi, cui rerum militat ordo:
Sidera cui parent, quo Præſide cuncta geruntur:

Nata vigent : non nata ſuo de ſemine vitas
Accipiunt, auctuſque ſuos : dein aucta ſeneſcunt.
Quē Mare, quē Tellus, quē Tartara nigra tremiſcit:
Cui coniuratæ veniunt ad iuſſa procellæ:
Omnia qui ſubter rapida vertigine torques,
Omnibus infuſus, nuſquam deprenſus; oberrans
Omnia, vitali nunquam conſtantia forma
Materiæ vitio; motu fluitantia ſiſtis;
Et ſeriem abſimilem ſimili de ſtamine nectens,
Diſſimilis ſobolis generatim ſæcula texis.
Et tibi cum conſtes idem, modo facta reſignas:
Iam ſubmota vocas; remoues accita: ſenecta
Iam collapſa nouas: ſenio renouata reſoluis:
Das animas, adimiſque, & lumina morte ſoporas.
Te ſibi purpurei Reges, Dominique potentes
Conciliant prece ſollicita, te Regna mouentem
Mutantemque vicē, humileſque ad ſceptra trahentē,
Immanes metuunt ſubmiſſa fronte Tyranni
Attoniti, crinem turpati puluere, palmis
Pectora pertunſi, terram diademate verrunt:
Templorumque ſacris infigunt oſcula valuis.
Tu, Pater o rerum, non ſurdis auribus hauri
Fundere quas cogor non ſano corde querelas:
Si merui: ſi iuſta precor: ſi barbarus iras
Extimulare tuas, inſonti ſanguine terram
Polluere haud veritus; meritos nil tale trucidat
Efferus: inceſtas funeſtat mortibus Vrbes:
Ciuibus exhaurit venientibus: omnia luctu,
Omnia fœmineis plangoribus externauit.
Huc Pater, huc adſis noxarum debite Vindex;
Et Mundum in pœnas famulantem ordire Tyranni.
Audior: igneſcunt animi: præſentia ſenſi
Numina. Quo rabiem violentum pectus anhelat
Ite pedes, ita ſit. Votis mora triſtibus abſit.

Quiſ-

Quiſquis ades ſacris lugubria concipe verba:
Ominibuſque malis pecudis caput obrue diræ,
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Pompa parata neci. Nunc intonet ira Sacerdos;
Quanta tumet, cum iuſta mouet vindicta dolorem,
Quem furor inſtigat, quem perfidus aſperat, hoſtis;
Cum ruit in medios, iam funeris immemor, enſes;
Atque ſuo, atque hoſtis reſcindit ſanguine culpam:
Atque ſuo, atque hoſtis reſtinguit ſanguine flāmā:
Tanta ſacris operata meis altaria circùm
Ira fremat, attonitas incendat & ira querelas,
Implicitumque coma, funeſtum cæde ſuorum
Attrahat, vt meruit, deuotum mactet ad aras.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Bellua, non aptam capiti depone thiaram:
Exue ſidonio ſaturatam murice veſtem.
Aurea, quam geſtas, te dedecet. (abijce!) Virga.
Exue torquati duplicata monilia colli.
Ferrea de collo, fuluo pro torque, catena
Pendeat; aſtringant & ferrea vincula palmas
Crimine pollutas, rorantes cæde recenti,
Torua reluctanti velentur lumina tænis,
Lumina veſanas iræ voluentia flammas.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Bellua da iugulum: cultro cade ſæua recepto;
Omnia quæ luctu, quæ cædibus omnia miſces;
Quæ teneros flores, teneras quæ proteris herbas;
Quæ teneris viduas florentes ciuibus Vrbes.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Sæue, minax, truculente, ferox: quod & eſſe Tyranno
Crediderim peius, nunquam exſaturabile Monſtrū;
Gurges opum, legum buſtum, ſentina malorum:
Pernicies morum, ſcelerum fraudumque repertor;
Qui tenerum lacerare potes, tua viſcera, natum:

Barbare, cui ſpumant epoto ſanguine rictus;
 Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Nulla ne te potuit clementia flectere, prædo?
Non in natorum morientes vulnere matres?
Non in natorum morituri funere patres?
Stringere non potuit mæſtiſſima cædis imago,
Perque vias vlulata omnes, vlulata per ædes,
Crudelis? non fœmineo miteſcere planctu,
Effera non potuit mens emolleſcere fletu?
Non implorato toties, heu, nomine Regis?
Non implorato toties, heu, nomine Patris?
 Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Quæ te, quæ latebris Hyrcania ſæua ferarum,
Bellua quæ genuit ſub rupe Libyſſidis oræ,
Quod mare conceptum certantibus vndique ventis
Expuit, & ſola proiectum liquit in alga?
Talia qui tali promulgas funera cauſa,
Barbare, qui natos mactas ante ora parentum?
 Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Num ferus ingemuit? num corde cohorruit acer?
Compita cum multa ſpumantia cæde videret:
Cum cruor vndaret: cum flumina ſanguinis irent?
Quis ſatis illacrymet? quis prodere tanta relatu
Vulnera, quis clades poſſit deflere nefandas?
Seuit atrox animi; teneris nil flectitur annis;
Nil ætate labat; puerorum lactea colla
Ante patrum vultus, mœrentum lumina matrum
Impius immerſo tranſuerberat enſe ſatelles.
 Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Quis Scinis hæc geſſit, quis gaudens cæde Procuſtes
Hoſpitis? aut Phalaris tauro? vel carcere Sylla?
O tua, Mezenti, nunc mitia funera: mites
O Diomedis equi: mites Buſiridis aræ:
Sciron o clemens: o Cinna; o Spartace lenis!

Hæc

Digitized by Google

Hæc agit ? hæc ſæuum furijs exercet Erinnys ?
Aſpicis hæc Genitor ? telo mihi deinde triſulco
Decutis aut montes, aut alta cacumina quercuum?
Incipe:deuoueo furiali carmine Regem.
Iam neque te generis noſtri, neque ſanguine noſtro
Fœmina concretum vitales fudit in auras:
Sed ſparſura luem in populos te dira Megæra
Anguineis impexa comis, vallata colubris
Edidit, & picea Phlegethontis lauit in vnda,
Et tenerum finxit lambentibus ora ceraſtis
Prodigium populis dirum: illetabile monſtrum,
Fluctibus inſani pelagi truculentius: Auſtris
Sæuius iratis: centena fædius Hydra;
Acrius Harpya: calcato immitius angue:
Tygride mobilius gangetide: crudius illo,
Si quid adhuc fremit in terris violentius vſquam.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Scilicet vt regnes, Regum vis perdere Regem,
Improbe; nil ſceptrum, nil regia tecta morantem?
Non tua ſæue petit, ſua qui tibi præbuit vltro:
Extera nec quærit, qui Regna paterna reliquit.
Incipe:deuoueo furiali carmine Regem:
Quid ſi non humili boreæ opportunus in antro
Paruulus ille gelu nudo in præſepe rigeret
Nudulus, expoſitus, deſertus, & omnium egenus?
Si non imbelles arceret faſcia palmas?
Si non pallidulo ſingultus ore cieret?
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Nulla ne vis legum potuit retinere furentem?
Non pudor, aut memores offenſi Numinis iræ?
Quæ quia nil tangunt immanem, barbare, mentem,
Sed ferus amenti regnandi cæcus amore,
Omnia confundis, miſeranda cæde cruentas:
Accipe quam contra tibi triſtia vota viciſſim

Numinis expoſcunt irati, bellua, mulctam:
Bellua da iugulum: cultro cade ſæua recepto.
Incipe: deuoueo furiali carmine regem.
Terra tibi fruges: clementem Spiritus auram:
Afflatum Zephyri; potum neget vnda ſalubrem.
Et niſi ſi lento crucieris in igne, calorem
Flamma neget: paſſim pauido tibi terra dehiſcat;
Et vapor erumpat ſtygia caligine denſus,
Impia qui flammis fumantibus incoquat ora.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Nulla tibi pateant fugienti littora: nulla
Peruia ſit tellus: noctem tibi ſomnia turbent
Triſtia, & horrifica lacerentur imagine ſomni:
Nec ſit nocte dies optatus lætior atra,
Nec tibi clarus eat: ſubita ſed nocte queraris
Interiſſe iubar: ſolitam ſcrutantia lucem
Lumina contriſtet, quo gaudent omnia, Titan.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Exſul, inops erres, vt cæſo fratre Cainus;
Exiguumque petas inimica per oſtia panem,
Sis miſer: eſſe miſer nulli videaris; & eſſe
Vt videare miſer, miſerabilis eſſe negeris.
Accendant odium lacrymæ: mala multa ferenti
Plura rogent; tuleris cum plurima, plura precētur.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Seueris? intereant ſegetes: ſeges enitet? æſtus
Vſtulet. hic parcet? ſteriles rubigine culmos
Falce ſeces; paleas iactes cluſus in auras.
Horrea ſi facilis prouentus ruperit: ignis
Deuoret occultus, tineæ vel morſus ariſtas.
Non oleam felix maturet Virginis aſtrum:
Sordida nulla tibi madeat vindemia muſto.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Omnia deficiant: cupias tamen omnia demens

Sis

Sis æterna tuæ ſemper quo cauſa querelæ:
Cum ſitiens fontes acceſſeris; abditus imo
Fonte latex auidos fallat captantis hiatus.
Eſuries? poſitæ eludant ieiunia menſæ,
Et vacuam ingluuiem, & fauces fruſtrentur inanes;
Tantalus hoc ritu fugientes appetit vndas:
Arboris autumnum ſic appetit impendentem.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Illa tuas carpat rabies veſana medullas,
Delia qua ſæuos fertur ſtimulaſſe moloſſos,
Dum premit inuiſum patrijs Actæona ſyluis;
At tu non laceres alios, niſi teque, tuoſque.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Illa tuis venis illapſa, per intima ſerpat,
Quæ ſe ſe venis Eriſichtonis inſpirauit.
At velut exhauſit deiectum in viſcera cenſum
Implacata fames Eriſichtonis, alta vorago:
Sic tua placetur nullo exſaturata tributo
Improba latrantis, poſcentis & omnia ventris
Ingluuies; at opes patrias, & fraude rapinas
Sorbeat aggeſtas abdominis alta carybdis.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Nubibus exſiliant eliſi fulminis ignes,
Qui tua tecta petant, non alta Ceraunia plura
Fulmina deijciant: quantum pluit ilice glandis,
Cum quatefacta mouet connixus robora paſtor:
Quanta ſub olenio ſubſultat ſidere grando,
Cum malè defenſas baccas, cum verberat vuas;
Cum pecudes olim ſternit, cum culmina frangit:
Hoc numero, aut maiore caput tibi fulmina tũdant.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Corripiant ſubitis ædes incendia flammis,
Tecta vorent, & opes, nec ſit qui flumine peſtem
Opprimat vndantem; potius per culmina flabris

Ventilet, & tædis admotis nutriat ignem,
Victor vt abſumat Vulcanus teque, tuoſque.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Lenis es imprudens, pœnæ ſub imagine pœnas
Concipis ira leues: grauiori mole malorum
Iſte premendus erat, celeri quem fulmine mulctas.
Supplicijs oculos paſcat crudelibus ante:
Quam fixo mucrone cadat. cui denique parcis?
Cui cum multa dabis, non plura dediſſe pigebit
Vulnera: dilato ſpectes mucrone gementem.
Mitior es voto. vitam concede dolori.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Tot mala crudelem nequeant abrumpere vitam:
Tot caput inuiſum cumulent exempla dolorum:
Quot volitant frondes anno fugiente caducæ,
Aequore quot fluctus irato concitat auſter,
Quot mare turbatum cauris eructat arenas,
Quot ſtellis cælum fulget, quot floribus Hybla.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Vulnere nulla vacet pars corporis, vlcere nulla.
Cauſa tibi mortis non deſit: copia deſit.
Innumeros inter cruciatus tarda moreris
Funera, luctantemque animam, miſerèque gementem
Viuaci ſub morte trahas ſic omnibus vnus
Sufficias pœnis, vt noxæ ſufficis omni.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Ac velut ille, nouem qui ſummus diſtat ab imo
Iugera, tantumdem reſupino corpore terræ
Occupat; effoſſo de viſcere pabula monſtro
Sufficit, & quantùm volucer de luce totondit,
Tantùm corda dapis ſub noctem ſciſſa reponunt:
Sic miſer admorſu ſemper laniere dolorum,
Et miſer admorſu nunquam moriare dolorum:
Suppediteſque malis æterna in pabula cauſam.
Inci-

Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Nec valeas animo melius, quam corpore demens;
Aeger, inops, excors, furijs agitatus oberres.
Nunc furor in medios incurrere ſuadeat ignes:
Nunc probet e tecto corpus demittere præceps;
Nunc in aquis duros properet finire dolores.
Informem lethi nodum nunc nectere cogat,
Pectore nunc feſſo meditetur mergere ferrum.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Semper & e furijs torto ſonet vna flagello,
Verberibuſque ſecet liuentia terga per vrbes.
Altera fumiferas tædas obiectet in ora,
Et caput inuoluat picea caligine dirum.
Tertia terrificis armata draconibus adſit;
Atque Meduſæos intentet vbique colubros.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Sic Agamennonius ſcenis agitatus Oreſtes,
Cum fugit incinctam matrem ſerpentibus atris,
Et Diras oculis expalluit incurſantes.
Sic pauet Eumenidum temerarius agmina Pentheus,
Cui duplices Thebæ, ſolis geminatur imago:
Cum vagus exululat, cum brachia iactat in auras.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Has vigil extimeas, tacitis hæ noctis in vmbris
Excutiant pauidos inſano pectore ſomnos;
Hæ vitam oblato laudent abſcindere ferro,
Hæ rurſum erepto cogant te viuere ferro;
Hæ quoque quam votis optabis, & eſſe propinquam
Maturamque tuis ærumnis fortè putabis
Mortem, immaturam ſcelerato e limine pellant.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Cumque irritata fueris a morte retractus;
Talibus ac tantis incendas queſtibus auras,
Vt tua me in lacrymas querimonia cogere poſſit:

Exprimat & fletus inuitos. Scilicet illæ,
Illæ me lacrymæ facient ſinè fine beatum.
Hic mihi fletus erit riſu iucundior omni.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
His viuus furijs vexabere, mortuus ijſdem:
Noxia ne pœnis laniere minoribus Vmbra.
Nemo tibi aſſideat moribundo: lumina nemo
Condat: & accerſat properantia fata veneno
Si qua tibi fuerit coniux, aut filia fida.
Cantaridumque bibas ſuccos, aut vulnera Patri
Imprimat exſultans iterato filius enſe.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Nec tibi contingat funus; ſed ferreus vncus
Diſtrahat impactus populo plaudente per vrbem;
Appendatque artus ſola de rupe cruentos:
Aut tua diuerſæ per deuia ſaxa quadrigæ
Viſcera diripiant, vel circùm mœnia raptent:
Hectora quo ritu raptauit patria circùm
Pergama iam verus, iam Lariſſeus Achilles.
Sic quoque mendacis per ſyluas viſcera Tullus
Diſtulit, & Metij roraſtis ſanguine vepres.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Nec ſuper iniecta tumuletur corpus arena:
Nec tenui condaris humo: ſed vile per agros
Proijciare caput, ſæuorum rixa luporum,
Præda cruenta canum, indeploratumque cadauer.
Aduolet, & roſtro trahat ilia vultur obunco,
Aut iaceas nigris miſerabilis anguibus eſca.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Non animus placidè, non molliter oſſa quieſcant:
Et tua cum Manes deſcenderit vmbra ſub imos,
Certatim circumſiſtant ad limina Diræ.
Te peſtes Erebi fœdæ, te Ianitor Orci
Appetat, & crebris diſcerpat morſibus; & te
Mul-

Multiplicabilibus ſpiris circumplicet Anguis,
Qui latus & Matris circumplicat ora Megæræ.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem:
Ludus eris, ludus: Ditis ludibria fies,
Et dabis infelix, Erebo ſpectante, theatrum.
Hic te dira fremens redimita draconibus ora
Alecto, circumuentum rapietque trahetque,
Tiſiphoneque Soror ferro deſcindet obunco?
Te circumcingent, pauitantem, & multa gementem
Exitiale minans Pluto: te Gorgones atræ;
Geryoneſque, Harpiæque, horrendæque Chimeræ;
Et Syllæ informes, & fœdæ partus Echidnæ,
Hydræque, Pithoneſque, anguipedeſque Gygantes;
Porphyrionque minax, & vaſta mole Typhœus,
Centimanuſque Gyges, & centimanus Briareus,
Tergeminique canes, & ſemiferi Centauri.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Impia mille modis cruciaberis Vmbra, tuaſque
Aeacus in pœnas vires conſumpſe queretur,
Manibus antiquis venias vt cauſa quietis:
Cum tua ſupplicij expendens crimina dignis,
Cunctorum pœnas in te tranſcripſerit vnum.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Siſiphe, qui ſubeat ſaxi reuolubile pondus:
Tantale, fallaces ramos qui captet, & vndas;
Hic erit. Ixion tandem ſufflamine ſiſtes
Hoc veniente rotas: rimoſas, Belides, vrnas
Depoſuiſſe licet: plena decedite ripa.
Qui premis ipſa nouem porrectus iugera, Phœbo
Vindice; rimantes epulas in corde volucres
Huius in æternam depaſcent viſcera pœnam.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Quicquid vbique gemunt: quicquid patiuntur vbiq;
Damnatæ tenebris animæ; patiere, gemeſque
Im-

Improbe cunctorum fient tormenta vel vno
Supplicio leuiora tuo: quæ Tænarus ipſe
Incutit aut alijs, aut ipſe miſerrimus horret;
Ludus erunt collata tuis, teterrime, monſtris.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Nulla tuas fraudes oblitteret inmemor ætas.
Viuat, & extincto ſcelerum ſit fama ſuperſtes.
Crimina Patris eant in ſeros longa nepotes;
Duret & in Natis rabies æterna Parentis.
Nil putet ira ſibi vetitum: nil fœda libido:
Crimine certetur; ſtringantur tela viciſſim:
Ancipitis fortuna domus nutetque labetque,
Aſſiduoque ferat fluctu variabile Regnum.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Oſtentare manus imbutas ſanguine fratrum
Gloria ſit generis: cari reuerentia Patris
Dedecus: occiſam iurent per numina Matrem:
Occidiſſe ſoror laudetur adultera fratrem.
Qui iugulum ſoluat ſtricto mucrone ſororis;
Qui ſecet, & natos epulandos torreat igni,
Qui Patris, & cæſæ mandat præcordia Matris
Optimus hæredum ter maximus audiat hæres.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Non modus irarum, non ſit pudor vllus amorum;
Non odiſſe vacet tabentem cladibus Aulam,
Non odiſſe vacet temerati crimina lecti.
Obruat & probris inceſtum filia Patrem:
Exigat & Patris per viſcera filius enſem:
Immineat ferro coniux accincta Marito:
Miſceat Vxori vecors aconita Maritus.
Incipe: deuoueo furiali carmine Regem.
Non Auiæ, nec Auo liceat ſperare Nepotes:
Non Auiam, nec Auum poſſint meminiſſe Nepotes:
Sed Pater hos iugulet; iugulet ſed filius illos.

Sic

Sic vbi peiores ſcelerata e ſtirpe reſurgent;
Vna domus clades terrarum lugeat omnes.
Compleat vnius ſoboles immane barathrum,
Diſcrutianda ſuum iuxta poſt funera patrem.
Incipe: deuoueo ſuriali carmine Regem.
Euenient. Mihi certa Deus præſagia mouit.
Euenient. Vox lenta nimis: nil vota morantur;
Euenere. Viden vermes efferuere coſtis?
Atque inſincero vitiatum viſcere, queſtus
Vitæ obluctantem tarda ſub morte, ciere?
O lepidum factum: ſentis iam bellua? ſentis?
Omnia quæ luctu, quæ cædibus omnia miſces?
Deſine: deuoui furiali carmine Regem.
Bellua, cui ſpumant epoto ſanguine rictus;
Talia quæ tali promulgas funera cauſa,
His ego te furijs deuoui. Numinis iras
Bellua num ſentis? curat mortalia Numen;
Teſtes intenditque oculos, mortalia cernit:
Aequali geminas expendit pondere lances,
Barbare, iam ne vides? iam ſentis barbare Numen?
Ingemis infelix: inſano carperis æſtu:
Morbida membra fluunt: liquuntur viſcera tabo.
Conſcia quin etiam ſcrutaris viſcera ferro.
Perge. Tuos maiora manent tormenta furores.
Sic morere. O felix votorum ſumma meorum.
O iuſtam Nemeſin. memores o Numinis iras.
O lætas lacrymas. ſentis iam Numinis iras,
Bellua, quæ natos mactas ante ora Parentum.
Noxia mille modis laniaberis Vmbra retortis
Anguibus, & facibus vindex quam vexat Erynnis.
O iuſtam Nemeſin. memores o Numinis iras.
Nunc regno: nunc ſceptra gero: nũc, Muſa, triũpho.
Deſine; deuoui furiali carmine Regem.

Digitized by Google

Habes, Lector, in hoc Poemate carminis furialis formam ſeu ideam pulcherrimã. Si cupis Præcepta cognoſcere, lege eiuſdem Auctoris Tractationem, quæ ſequitur.

DE CARMINE FVRIALI PRAECEPTA.

ERinnes, & Eumenides Græcis, eædem, quæ Latinis Furiæ, & Diræ, tres illis, geminæ noſtris habebantur ſcelerum vltrices Deæ, nocte ſatæ, Saturni filiæ, quemadmodum Epimenides perſuaſit ſibi, teſtes omnium, omnium arbitræ, contemplantes, & vindicantes omnia, ſi quid Euripidi illi credimus, quo nemo Syrma Tragicũ magnificentius traxit. Huius verba ſunt in Oedipo Colonæo

. . . . *omnia cernentes*
Eumenides.

Ipſæ multa de ſe prædicant apud Eſchilum, multa præterea de memori, ac præſenti iuſtitiæ ſuæ vindicta. Sed nemini penè noxias, ſceleratis tantum iraſci: pijs nunquam inſenſas: nunquam infeſtas eſſe: tantum eos, quos videant ſceleribus, ac flagitijs turpificatos, atque inceſtos, a ſe dicunt exagitari tædarum flammis ardentibus, & terrificis imaginibus obiectatis; diurno, nocturnoque metu turbari, perterreri, diuexari, dilacerari: tandem ab ſe ſe maleficiorum mulctam exigi. Quam ob cauſam Erinnes precibus euocabantur ab iratis in perniciem hoſtium; quo factum eſt, vt carmen illud Poetarum, quo quis alterius Caput furia-

rialibus imprecationibus deuouet; nunc Diræ, nunc Erinne, nunc Furiæ, nunc Eumenides, nunc Imprecatio, nunc Deteſtatio, nunc Deuotio, nunc Mulcta, nunc Vindicta, nunc Furiale, nunc Vindex carmen vocetur. Ab Italis deſperatum Poetæ telum irati, rabie Archilochi infauſtum, ferale, vehemens, incitatum, agitatum Furijs &c. Idem Vindictam ſceleris anhelans, omnem impetum pectoris effundens; & omni pondere irarum incumbens in hoſtem: exitio lætum, ſanguinem ſpirans, in funeribus exultans. Morbus, ignominia, paupertas, mendicitas, ſordes, obſcuritas, ignobilitas, ſolitudo, mæror, acerbitas, odia, monſtra, ſupplicia, lanienæ, exilia, incendia, vaſtitas, funera, nec funera, inſepultæ ſepulturæ pars quota furentis ſunt? Iuſti doloris inſtinctu dignum videlicet argumentum iracundia, dignum amentia.

Iam Furiale carmen duum eſt generum, aut vbi nobis & noſtris: aut vbi læſi lædentibus hoſtibus imprecamur (Deus meliora) vel ira Numinis in voluntarium exitium ruentes, vel amentia præcipites & deuiæ mentis errore, tunc imprecamur, vbi nos vitæ tædium cæpit, inuiſam hanc lucem, (vt ille dixit) abrumpere meditantes. Hic ille furor eſt Oedipi Papiniani, qui cum ſe ſe Parricidam, & inceſtum execraretur, diem peroſus digitis impreſſis oculos extinxit ſibi, Dijs inſenſus, infeſtus ſuis.

Illum indulgentem tenebris, imaque receſſu
Sedis in aſpectos Cælo, radijſque Penates
Seruantem, tamen aſſiduis circumuolat alis
Sæua dies animi, ſcelerumque in pectore Diræ

Oedipodi Papinij Seneca multo ante præluſerat, cum a Phorbante didiciſſet ordine parricidium, & inceſtum ſuum.

Dehiſce, Tellus, tuque tenebrarum potens
In Tartara ima Rector Vmbrarum rape.

Idem in Thebaide.

Me fugio: ſcelerũ fugio conſcium omnium
Pectus.

Nec meliore quidem carmine canit Thyeſtes in Atreo, cum ſe filios epulatum fuiſſe cognouit.

. . . . Clauſa littoribus vagis
Audite maria. Vos Dij audite hoc ſcelus,
Quocumque diffugiſtis.

Nec diſſonat Hercules furens cum a ſe comperit contrucidatos filios.

Nunc parte ab omni, Genitor, iratus tona.

Hoc etiam artificium nos expreſſimus vt potuimus in Adriano.

Alterum genus eſt, cum diris execrationibus in hoſtem inceſſit inimicus. Nihil hic molle, nihil fractum, nihil moderatum: tumet, fluctuat, exundat, quicquid intus coquit animum ſupra modum ex imo turbidum efferueſcit. In hanc formam includitur Ouidianus furor in Ibin, & Virgilianus ad Battarum; & noſtræ Rhachelis in Herodem: Iam, vt ad artificium veniamus; genus hoc carminis partibus coagmentatur omnino tribus. Expoſitione, Appellatione, Imprecatione.

Expoſitio cauſam, & materiam ab hoſte ſubminiſtratam iracundiæ, meritorum noſtrorum diligentem commemorationem, cum incenſa querimonia contineat hoſtilis perfidiæ expoſtulationem acerbã. Hic quoniã meritis cõmemorandis beneficia exprobrantur, totus hic locus augetur, & inflammatur momentis vndique quæſitis a noſtra calamitate, præſertim ab hoſtis improbitate, ab immanitate ſceleris, a ratione locorum ac temporum. Pietas

Digitized by Google

tas noſtra cum alieno ſcelere, ſuſcepta damna cum collatis beneficijs, calamitas inuenta, cum effuſa liberalitate, perfidia demum cum fide contenditur. Hic hoſtem non humano ſanguine concretum, non humano lacte nutritum, non noſtris moribus excultum: ſed detractum ex robore, a tygride ſuſceptum, ex aliqua Carybdi tanquam exputum, & eiectum fluctibus, furijs educandum traditum, ad omnia ſcelera fictum, ac factum perfidum, impium, contumacem, importunum, ferum, execrandum, inimicus dolore commotus omnibus omnium ſeculorum exemplis flagitiorum, ac ſcelerum anteponet.

Aſſequitur Expoſitionem Appellatio qua Superos, medios, infimos obteſtamur: nos impiè deſertos, perfidia circumuentos, ſcelere circumſcriptos inimici dicentes, & indignos illius calamitatis acerbitate, cælum, terra, maria, identidem vociferantes imploramus, omnem denique naturam in pœnas hoſtis ordimur. Quo facto ſtatim animus impotenter effertur, & indomito furore concitatus in diras illas imprecationes præceps erumpit. Ex quo tertia videlicet pars carminis emergit, a qua genus hoc vniuerſum Dirarum nomen inuenit.

Imprecatio igitur continet partes duas, quarum altera, cauſam noſtram cum diuina coniungimus, vt cum iniuria nobis illata læſum ab hoſte Numen oſtenderimus, tum in illum iram Numinis vltricem prouocemus: vt & noſtram pariter cauſam reſpiciat, & ſuam vlciſcatur offenſam: altera pro fide mulctam expoſcimus. prior Inuocatio, poſterior Deteſtatio dici poteſt. Illa, quoniam nobis vlciſcendi præciſa poteſtas eſt, ad ſcelerum vindicem aliquem, aut ad Deum confugit; hæc verò diris exe-

execrationibus intumeſcit, his omnino, quas mo-dem neſciens ira dictauerit. Deteſtatio verò bipartita eſt, nam & Execrationem, vt diximus (qua caput inimicum deuouetur) habet, & iræ temerè ſanientis exitiale votum: hic verò tumidi pectoris impetus erumpit: hic laceſſitus Aetna vehementius, vt aiunt, exæſtuat: hic ſeſe non capit ira, nullam pœnam prætermittit, & nulla eſt ſatis. num gladius? parum eſt. venenum? parum eſt. laqueus, equuleus, rotæ? etiam num parum. Quid incendium? quid; vlcera? quid vulnera? parum. Quid ſimul omnia ſi mortem afferant? etiam num eſt parum. Ita vindex ira in contraria vota diſtrahitur. Hoſtem enim videre cupit non mortuum, ſed morientem: & lentos dilato mucrone cruciatus; in quo vindictæ fructus omnis eſt, eo videlicet iucundior, quo fuerit hoſtis ærumnoſa vita diuturnior. Non opibus, non famæ, non corpori, non animo, non familiæ, non poſteritati, non funeri, non ſepulturæ parcet inſanus dolor: hoſtique cauſam mortis, non copiam dabit, & facultatem exitij, non poteſtatem, vitam calamitoſam, mortem viuacem, ſimulacrum ſpirantis mortui; querimonias inanes, lacrymas non ſolum irritas, ſed odioſas; cædem turpem ab inualido, acerbam a domeſtico, nulli flebilem, verecundam omnibus ira percitus irrogabit. At enim in funere non planctum, ſed plauſum, non lamentationes, ſed acclamationes excitabit: cadaueri ſepulturam, animo quietem negabit. Illum vulneribus perfoſſum, cruentatum, ſemilacerum, horridum, fœdum, indeploratum diſtrahet, diſijciet, diſcerpet, diſſipabit, rixam feris, auibus pabulum relinquet. Hunc infra mortuos amandatum, omnibus inferorum omnium ſup-

pli-

plicijs excarnificatum, ſuriarumque ora trementem exquiſitiſſima calamitate cumulabit. Nec mirum, etenim is, qui deſertus eſt, ita eum, quem inſectatur ſibi fingit: perinde quaſi portentum aliquod, aut prodigium, ex omnium ſcelerum colluuione conflatum exigi, ac diſcruciari æquiſſimum ſit. Illud autem artificium in furiali carmine minimè vulgare videri ſolet: cum deuouentis ira quaſi futura præſentiens ſupplicia transfundi tum etiam in Nepotes, & poſthumos; vt hæreditarias relinquat poſteris inimicitias, ac ſempiternas. plurimum iuuabit hic notitia antiquitatis. Diuinus eſt hoc loco noſter, vt ita dicam, Poetarum Deus, vbi Didonis animum ab Aenea proditæ (cum lucis iam eſſet, proiectique pudoris, ac peſſundatæ famæ pertæſum) adeo vehementer odium, ac dolor exulcerat vt prope in ſeptingenteſimum annum pœnam refundi velit, quo tempore Annibal, quem Vltorem Eliſa ex oſſibus ſuis exoriri cupit, cum diutino, tum acerrimo bello Romanum Imperium quatefecit: & Romanorum genus ex Aeneæ ſtirpe propagatum in vltimum prope diſcrimen adduxit. Igitur cum illa

Terq; quaterq; manu pectus percuſſa decorum
Flauenteſque abſciſſa comas,

In Aeneam ferociter inuecta rogauiſſet.

Sed cadat ante diem, mediaq; inhumatus arena
Hæc precor: hanc vocē extremā cū ſanguine fūdo,

Statim illa ſubtexuit

Tunc vos o Tyrij ſtirpē, & genus omne futurum
Exercete odijs, cinerique hæc mittite noſtro
Munera: Nullus amor populis, vel fœdera ſunto.

Hic reſpicit, vt videtis, Virgilius bella punica, quæ virtute Romanorum oppreſſa ſæpe, Carthaginenſium

ſium perfidia ſæpe redintegrata ſunt.

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus vltor,
Qui face Dardanios; ferroque ſequare colonos,
Nunc, olim, quocunque dabunt ſe tempore vires.
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas,
Imprecor arma armis: Pugnent *ipſique nepotes*

En ille vobis Sacerdos iræ, Romæ natus, ac deuotus excidio, dirus, acer, periurus, inhumanus Annibal: cui, ſi quæritis, quænam poſtea irrogari debeant mala: verbo dicam. eadem quæ Megæra Furiarum vna, & peſſima Tantalo peſſimo mortalium ſuggerit, ac ſuadet in calamitatem generis, ab inferis excitato.

Perge (inquit in Thyeſte) *deteſtabilis*
Vmbra, & Penates impios furijs age.
Certetur omni ſcelere.

Diræ porro genera omnia Carminum admittunt. Ouidius iratos elegos in Ibin exacuit; in Canidiam Horatius Iambum armauit in Epodo liberiorem, ideſt tragicum. Iambum exeruit Euripides, Eſchilus, Sophocles, Seneca, Ouidius, Turpilius, Tragici omnes. Hexametro Catullianum Theſeum iugulat Ariadna, Maroniano deuouet Aeneam Dido.

At ſtylus aculeatus omnino ſit, eſt enim, vt diximus, hoc carmen iracundiæ telum. Dicendi genus igitur elatum ſit, turgidum, & ampulloſum, ſed ſinè vitio, breue, conciſum, ardens, violentum, imperioſum: punctim, vt aiunt feriat, & cæſim: breuibus ſententijs & pugiunculis aduerſarium petens, interrogationibus, & exclamationibus abſciſſum: multa ſupra fidem attollit, ac deprimit infra fidem. Ironia ac diſſimulatio nullum affectum magis decet, quam iram, querelæ ſparſim

ſim fuſæ crebris ſingultibus interrupta ſuſpiria, conuerſiones ad abſentes, atque præſentes, ad muta nonnunquam & inanima; metaphoræ frequentes, allegoriæ neſcio vnde ex abdito vocatæ. demum illa omnia lumina ſententiarum, atque verborum, quæ vel augent, vel commouent, a Diris abeſſe non debent. Oratio non ſolum fluens, ſed etiam fluctuans; vt quæ non hoſtem vehere, ſed obruere conatur. Hæc habui, quæ de Diris, & Vindice carmine dicerem: hoc ipſo die, quo Vindex ac Iudex omnium factorum atque dictorum Chriſtus Opt. Max. ab Eccleſia nobis timendus proponitur.

SOTERIA DAVIDIS PRO SAVLE.

CARMEN IV.

QVod poſuit ventos, tenuit quod ſidera Mundi
urbida quod Regis ſedauit pectora carmen,
armen Ieſſei Vatis, referamus ad aures.
e Palatinæ circùm mea tempora Vittæ.
aurus Erythræis certet Romana Corymbis;
t cæci errores, illaudatique tumultus
iſſæi Ducis, & vigiles ſub pectore curæ,
ſcelus, & ſcelerum furiæ, ſemperque nocenti
ffixæ Eumenides, & inhoſpita corda Saulis
ælitibus: nulli non cognita, fama Parentes
tigit, & tanget ſeros ea fama Nepotes.
O quo-

O quoties memorant Euantum more, per Aulam
Iſſe ferum, incertoſque pedes per tecta tuliſſe!
Dum pauet aſſiduas amens ad limina Diras!
Dum vagus exululat, dum bracchia iactat in auras!
Quid faciat? ſcelerum facies qui pectore fixas
Exuat? Exercet ſtimulis quem liuor amaris,
Et Superum terror, memores & Numinis iræ,
Criminis & iudex, & vindex maximus idem
Conſcius admiſſorum animus, cæleſtium inanis?
Quæritur (illa ſalus, præſens ea viſa medela eſt)
Et cithara Vates, & crine decorus Ephebus,
Exigui cuſtos pecoris, quem Gloria dudum
Vexerat ingenti per compita læta triumpho,
Hoſtis & exuuias, rorantiaque ora ferentem.
Hic vero Puer, hic Ille eſt, qui pectore Numen
Hauſit, vt irriguum, lucemque animumq; potentem:
Velox mente noua magnum complexus Olympum,
Templa ſuper, volat aſtra ſuper flammantia Mundi
Arduus, & puræ delibat lucis honores:
Tantus vt in populos liquida dein voce refundat
Facundum meditatus ebur, digitoſque loquentes?
Quãtus vbi Heſperidũ Eridanus dominator aquarũ
Montibus incanis, Zephyro ſi liquitur humor,
Inuehit Oceano maiori mole tributum
Spumeus, Oceano pariter, Terræque timendus.
Ergo dum Rector monſtris exercitus atris,
Aeger, inops animi, lymphato pectore mugit,
Lumina liuenti torquens ſuffecta veneno:
Hic chelys impoſitis ſeptem diſcrimina doctæ
Temperat articulis: numeroſque ad carmina flectit,
Numine correptus, ſæuo ſi pectore Diras
Excuſſiſſe Ducis poſſit. Tum talia cantu
Ludit: eo dicente ſilet Domus ardua Cæli;
Et ducis inſani requierunt pectoris æſtus.

Ille canit, quantus ſuperumque hominumq; repertor
Iuſſerit e nihilo magnum concreſcere mundum,
Et rerum vario ſectas diſcrimine formas!
Aut vigil vt cuſtos molitus geminea cœli
Frœna regit, pictæ telluris florea, ponti
Spumea nauifragi: partes diffuſus in omnes,
Et facili felix irrorans omnia luce.
Aut bonus (vt retro cœpit ſublapſa referri
Spes hominum in peius) magno de corpore gentis
Humanæ quanto genitor ſecrerit honore
Iſacidum, atque omni cumularit munere, nomen.
Vtque Parethonias centum portenta per vrbes,
Dum monſtris quatit Arſinoën, vulgauerit idem,
Verterit & Phariam quatefactam funditus aulam!
Vt mox fatales populum traduxit in oras,
Seruitio exemptum, & rubram curuauit Erythren:
Et maris in muri faciem circumſtetit vnda.
Ille etiam ſuperum leges, cauſaſque latentes
Longiùs euoluens, fatorum arcana retexit:
Quæque trahet ventura dies, quæque ante vetuſtas
Traxit, ab extremo repetens exordia Mundo.
Sæpius hoc autem cithara modulatus eburna,
Inſtinctus propiore Deo: quo ſæcula pacto
Progenies æquæua Patri, genitoris Imago
Viua Dei, Deus ipſe regat, mundumque minorem
Viſat, & humana luſtret ſub imagine terras.
Hinc genus antiquo ductum de ſanguine regum,
Chriſtiadas magnos, demiſſamque æthere gentem.
Addit, & ingentes ingenti laude nepotes
Omnes ſidereos, omnes ſupera alta tenentes.
Tu quoque, Tu mundi melior Regina, Deique
Vera Parens Virgo, pars tanto in carmine multa es,
Ingenuæ virtutis honor, candoris imago,
Effigies decoris, diuini vena leporis;

Tu quoque primæuæ Matris ſarcire ruinas,
Hærenteſque animis præſens lenire dolores.
Incipit. O veræ felix auriga ſalutis,
O animi tranquilla quies, o viuida virtus,
Præſidium o magnum, o columen Rex optime rerū:
Aurea vis laudum, virtutum maxime Ductor,
O Erebi terror, non eluctabile numen:
Vera boni natura, nec enarrabile Verbum,
Magna Dei Soboles, magnum Patris incrementum!
En ades, & mundi tandem compone tumultus.
Iam nimis heu laceri, iam feſſi, teque vocantis.
En erit illa dies, cum te, Nate vnice Patris,
Tranquillum vultu, & frœnantem legibus Orbem,
Aethere delapſum, morituro ah corpore clauſum
Aſpiciam, parcentem oculis mortalibus vltro,
Mulcentemque iubar, maieſtatiſque legentem
Conſultò vexilla tuæ: tamen ore nitebit
Plurimus & vultu, & toto ſe corpore fundet
Diſſimulatus honos, natiuæ & gratia lucis.
Te, cum largifluo perfundes nectare mentes,
Non aſpernatus cætus, hominumque labores;
Certatim circumſiſtent, iuueneſque, ſeneſque,
Et virgo matura viro, matreſque, nuruſque;
Quoſque premit miſeros duris in rebus egeſtas:
Et quos lana beat Tyrios incocta rubores.
O ego quos mores hominum, quæ ſæcula cerno!
Quæ mihi colludunt laudes arte ora minorum?
Et Pudor, & Pietas, & pacti conſcia cæli
Relligio, Pax alma, ſoror Concordia Pacis;
Et Decor, & tandem ſolers Prudentia veri.
Ipſe rigor ferri cedet, Diſcordia cedet,
Anguineis innexa comis, accincta flagello;
Et diræ ſcelerum formæ, te Principe, cedent.
Vt meus hic Ductor ſumptis metuendus in armis,
Idem

Idem conſilij, ſi res vocet, vti is auctor;
Si ſuror exundat, curarumque æſtuat vndis,
Fluctuat, & vacua infelix bacchatur in aula:
Mentis hebet, fœdèque iacet peſſundata virtus;
Nec nitor, aut rectæ lucet rationis imago:
Sic ſcelus, & fœdis obſedit pectora curis,
Et genus humanum pollutum crimine lædit:
Arma fremit, fremit arma nocens, & tela cruore
Imbuit, & tabo ſedes, & vina veneno.
Vt mea ſi Ductor non ſurda reſpuat aure
Carmina, tranquilli miteſcunt prælia cordis,
Scilicet & rabidi placantur monſtra furoris,
Et nitor & rectæ lucet rationis imago.
Sic quoque qui patiens, & veris vocibus aptus
Audiet, & penitus menti tua dicta recondet;
Continuò curas animi mulcebit, & æſtus,
Et decus, & laudes iucunda pace fouebit.
Hæc cithara iuueni ludenti, & plura paranti
Ludere, fortunam ſortitus lumine Ductor,
Torquet in immeritum magna vi turbinis haſtam.
Ille euitatum declinans corpore telum,
Carminis incœpti pendentia verba reliquit.

Digitized by Google

SENNACHERIBI CLADES

CARMEN V.

ANGELVS VLTOR LOQVITVR.

POenarum exauſtum ſatis eſt: ſtat cauſa doloris
Matribus Aſſyrijs longo diuturnior anno.
Sat lacrymæ, luctuſque datum: ſat cædis inundat
Aſſyrium caſtris; ſat funeſtauimus arma
Impia: Pellæo pingueſcat ſanguine Idume:
Sanguine Pellæo Iordanis fluctuet, vndis
Decolor, atque æſtu tumidus ſecet arua cruento.
I, ſuperos animis, & ineluctabile Numen
Contra aude conferre manus, & voce laceſſe.
I: te finge Deo ſimilem, teque aſſere cælo.
Militibus pactos vaſta cultoribus agros,
Et tecum Iudæ faſces molire ſuperbos.
En campos metire iacens, quos milite comples.
Indefletus agris ingentibus, inque ſepultus,
Et canibus data præda feris laniabere, tetro
Inficiens tabo, vitiato viſcere, cælum.
Vnus ego eductum intentans a vertice ferrum,
Vltima, prima mentes nullo diſcrimine, aratra
Curribus æquaui Regum, ſceptriſque ligones.
Vnus ego ætherea vindex demiſſus ab arce
Inſtructas acies, florentes ære cateruas,
Et quos mille duces populi miſere ſub arma,
Aere libratus demerſi funere victor,
Securoſque dedi letho, & nil tale timentes.
Vt quondam vacui magnæ ſpectacula ciues
Conſeſſu caueæ celebrant, ſeu dura palæſtra

Pal-

Palmam, ſeu crudus decernit præmia cæſtus;
Seu feſtis choreis indulgent, ſiue cothurno;
Seu laſciua magis gaudent proſcenia ſocco.
Tum ſi fortè ferox abrupit vincula taurus;
Heu dabit ille neces, dabit obuia corpora ventis
Fidere quiſque fugæ, Zephyros præuertere curſu,
Dum trepidant, mixtique ruunt formidine cœca
Præcipites, alijs intercurrentibus hærent,
Præpediuntque moras: ille aſper, & improbus ira
Mugitus ciet horrificos per ſtrata viarum,
Atque iram, atque ignes elatis naribus efflat;
Ictibus & cælum crebris, ventoſque laceſſit.
Haud aliter turbatæ acies, viſuque cohortes
Concuſſæ, mutæque metu ſe credere campo,
Obnixæque viam rumpunt, & viribus vrgent:
Qua globus oppoſitis inſtat denſiſſimus armis;
Conturbant acies impulſæ, vrgetque virum vir;
Aeſtuat implicitus varijs exercitus armis:
Pectora pectoribus procurrunt, oribus ora;
Atque humeris humeri: vires metus addidit iræ,
Ignauis animos, pedibuſque fugacibus alas.
Quo fugiat demens? ferrum fatale coruſcat
A tergo nocuis, & vis inimica propinquat.
Ergo vbi nulla fugæ miſeris ſpes, nulla ſalutis;
Artes quiſque omnes, conatus aduocat omnes;
Oppoſitaſque moras denſo conamine pellit.
Anceps pugna diu vario luctamine ſiſtit:
Deiectæque manus iterum in contraria tendunt.
Qualis vbi alternis procurrit fluctibus æquor,
Terram, & ſaxa inter medium; ſi gurgite ab alto
Incubuit Notus, aut violentior incidit Eurus;
Nunc ruit ad terram, refluis nunc ſaxa relambit
Aeſtibus, inque vicem ſcopulos, littuſque refundēs,
Ambiguis proludit aquis, dum illiſa retundunt

Saxa fretum, terramque vado refluente laceſſunt.
Haud ſecus inſtabiles videas innare phalangas.
Bis connixa humeris cuneos perrumpere tentat,
Bis reiecta acies in morem fluctuat vndæ.
Hic verò occurrit viſu mirabile monſtrum.
Dum pugnam trepidi proturbant agmine facto
Pro ſe quiſque viri primi traxere ruinam
In caput, inq; humeros, præfractaq; quadrupedantum
Corpora corporibus: permixti cæde virorum
Semineces voluuntur equi diſcrimine nullo;
Confixique armis calido cum flumine vitam
Expirant aliis congeſti, ſanguine in alto
Scuta natant, galeæque & inertia corpora bello.
Hic verò & gemitu morientum, & ſtrage cadentum
Clareſcit ſonitus, ferit aurea ſidera clamor,
Et magis, atque magis ſonus increbreſcit, & armis
Excita terra tremit, clangoriſque irruit horror
Congerie in vaſta, variaque in imagine mortis.
Vulnere ſic vno, non vno digna perire,
Me pugnante, manus fugit indignata ſub vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, cœcumque barathrum.
Quod ſupereſt, cauſas (quoniã meminiſſe iuuabit)
Præſtat, & extremas oras euoluere fati.
Tu facito mox vt tantis erepta periclis
Sis memor, & magni repetas exempla Parentis,
Et ſeruata fidem ſerues Iudæa propago.
Ardua qua Nini cælo ſe mœnia tollunt;
Aurea millenis ſurgunt innixa columnis
Atria, Regis opus; populis hoc curia tectum:
Concilium hic Reges ſoliti, primoſque Senatus
Cogere conſilium, ſi quando flagitet vſus;
Imperij; hinc omen, primos oſtendere faſces;
Hinc virgam accipere auratam, chlamydemq; rigenti
Auro intertextam, capitiſq; inſigne ſuperbum.

Ve-

Veſtibulum ante ipſum horrendū nemus ilice nigra,
Omnigenumque Deum effigies, & monſtra ferarum,
Cælatique auro Reges ex ordine gentis.
Ingens aula intus varijs viſenda figuris,
Diues, & Attalica paries in veſte renidet.
Hic ope dædalea pugnas, hic eruta bello
Oppida, ſucceſſu vario, commendat imago:
Aeratasque acies, & opes, veterumque triumphos.
Hac ſeſe faſtu tumidus iactabat in aula
Sennacherib, veterumque oculis monumenta legebat
Impius, atque animum cura paſcebat inani.
Dum veterum fortuna ducum miranda videtur:
Nacta doli cauſas, & ſemina nacta nocendi
Bellua Cocyti, lernæos colligit angues,
Vipereaſque comas in nodum, & corpora ſetis
Horrida, & immenſæ ſinuoſa volumina caudæ,
Oris & illuuiem obſcenam, & rubigine dentes
Exeſos Diui ſimulata occultat imago.
Tum multo veſtes illuſas explicat auro.
Et multo digitos accendit iaſpide fulgor:
Dependent tereti baccata monilia collo;
Atque vt ſuſpicio fraudis procul omnis abeſſet;
Mentitæ igneſcunt ſcintillæ lucis, & aureo
Colla, manus, totum conueſtit lumine corpus,
Fit Deus Aſſyrijs habitus latrator Anubis.
Tum ficta vacuum compellat voce tyrannum.
Sæue, ferox, metuende, ſedes? nec deinde ſuperbi
Reſpicies genus, & clarorum nomen auorum?
Nec manibus tot geſta tuis felicia bella?
Quo reſidem abiectis animis molleſcere pubem
Et torpere graui pateris tua regna veterno?
Et tibi deberi fato ſcis ſceptra; tuiſque
Auſpicijs rerum (cupias modò) credita ſumma eſt:
Quo collecta auri, quo tot ſeruata per annos

Digitized by Google

Congeries? pereat? nec ſit quo ſplendeat vſu?
Nec vires iterum iuuenum fortiſſime, bello
Experiere tuas? nec laudum noris amores?
Quid ſtruis? aut qua ſpe ſegnes traduxeris annos?
Si te nulla mouet regni, laudumque cupido,
Si labor eſt adeo vitæ fugiendus inerti;
At quibus inuideas tantarum præmia rerum?
Aſpice finitimos Reges, aſperrima bello
Pectora; qui muros hoſtis circumſonet armis.
Hebræum neſcis quantum genus audeat? hoſtem
Ni ditione premas, dominos abſiſtere ferro
Reris? & æterna contentos pace futuros?
Hos ſi marte paras detrudere, finibus hoſtes
Exigis, & bello primos; nihil abfore iuro,
Quin terras omnes penitus tua ſub iuga mittas.
Te regem expectat tellus; te poſcit Olympus;
Te penes Imperium; tibi totus ſeruiet orbis.
Ergo age rumpe moras, reſides in bella cohortes
Coge; tuas aquilas gentes, populique ſequentur
Innumeri, terras inſtructo Marte videbis
Feruere, & immenſos armis effulgere campos:
Me timidis addente animos, me hortante cateruas
Me duce ſidereas acies in bella mouente.
Ille ego ſum, largo ſacras quem pronus ad aras
Thure colis, terris metuendum numen, Anubis,
Aſtra mihi parent, ſeries mihi paret Olympi,
Et mihi perpetuus ſæclorum militat ordo.
His dictis Iuueni fixit ſub pectore tædam;
Addidit & ſtimulos, & cæcas addidit iras,
Mortaleſque oculos medio ſermone reliquit.
Ille vbi concepit furiali pectore flammam;
Arma amens, rapit arma manu; furor, iraq; mentem
Præcipitant: tota bacchatur percitus aula.
Torquet amor laudum pectus, ſceleratus habendi
Tor-

Torquet amor, ferri torquet veſana cupido.
It ſuper ira, moraſque odit, tectoque remugit.
Sic ferus ille canum ſæuit latratus in auras,
Si noto ceruus nares contingit odore:
Aut inter ſyluam damæ virgulta pererrant,
Excutiunt ceruice feri retinacula, nec ſe
Iam capit ira, moræ impatiens; furor ilia quaſſat
Iamque inhiant rabie, & latratu ſidera pulſant.
Haud aliter Iuueni poſtquam ſpes addita prædæ;
Aeſtuat ira intus, ſtygio lymphata malo mens:
Nec vis vlla potis Iuuenem mollire furentem.
En ſequor, o quicunq; es, ait, nec bella recuſo,
Nec tua, diue potens ferri, mandata retracto:
En ſequor antiqui haud indignus nominis hæres.
Quæ te, quæ cælo delapſum cauſa ſubegit,
Vt reuoces vltro in certamina Martis euntem?
Adſis o tandem, & fidentem numine ſerua.
Dona redux, tibi vota redux altaria ſoluam.
Nuntius hæc adeo Solymæ mea dicta tyranno
Rapſacis haud placitura refer: quo mœnia clauſus
Robore tutatur? qua ſpe ſibi credulus annos?
Prorogat? an miſeræ ciues opponere morti
Apparat? an noſtris occurrere viribus audet?
An numerum, alterni ſi congrediamur, habebit?
Vel fræuum accipiat: vel ferro dicta refellat.
O numquam balitura meis, o preſſa pudendo
Seruitio ignaui regis Iudæa propago!
Vana ſuperſtitio, quibus, & fiducia diuum
Dant animos, cælo & ſubductum marmore templum.
Ille quidem ad Diuos, quorum ſe deuouet aris,
Confugiat ſupplex, votis cælum omne fatiget:
At ferrum tractare manu, & deducere pubem
Ne velit: idque vtinã iubeat, quibus excitat aras.
Haud opus in bello imbelli pietate; ſed armis.

Nil me, quæ præ ſe iactant ſatalia gentis
Ignaui Iſacidæ, terrent reſponſa Deorum;
Nil pietas. An non viderunt mœnia bello,
Mœnia, quæ Samaris ſubduxit in æthera, noſtros
Ante pedes cecidiſſe, manu deſenſa Deorum?
Et quas mille die viduaui ciuibus vrbes?
Et quos victor agris cumulaui ſtragis aceruos.
Proinde preces fundant, & cælum thure vaporent.
Arma velint? armis faxo, fiducia quæ ſit
Tanta Deum, norint experti; fœdera ſerò
Noſtra rogaturi, & palmas, vrbeſque daturi.
Vix ea legatus celerat mandata tyranni.
Interea legio campis properabat apertis;
Diues opum, diues melibææ veſtis, & auri:
Et Solymum tandem tentoria figit in oris.
Obſtupuit tanto perculſus pectora motu,
Rex pius, immundo deturpat puluere crines
Triſtior, & lacrymis ſuffuſa tepentibus ora
Vix cælo attollens, ſacris aduoluitur aris,
Et ſuperos onerat votis, altaria donis.
It plenis ad templa vijs longo ordine pubes,
Et patrum longæua manus, matreſq; nuruſq;
Vota metu duplicant, & primo flore iuuentæ.
Ipſe adeo Vates, quo non ſeruantior æqui,
Notior & Superis, cæli conuexa tuetur,
Regis & exemplo, & iuſſu, monituque pericli,
Vim facit ore Deo ſenior; numeroſque querelis
Sollicitat, ſuperaſque incendit fletibus auras.
Summe pater, cuius ſemper ſub numine gens eſt
Iſacidum, cui iam vigiles ſacrauimus ignes,
Armipotens noſtræ Genitor tutela ſalutis:
Aſpicis hæc? curaſque Deus mortalia? an hoſti
Quæ tutò nunc iacta volant, impune volarint?
Quæ te, quæ Solymamq; tuam conuicia tangunt?

Ex-

Excindi ne ſacras ædes patieris, & vrbem?
Vrbem ædeſque tuas? hoſtis nec dicta refelles?
Quid ſceptrum medias iuuit fugiſſe per vndas
Aſſyrium, & nocuos fuſtaſſe penates;
Si nunc gens eadem ſumptis exultat in armis
In numen, templumq; tuum, excidiumq; tuorum?
Quid vita regem, & regno ſpoliaſſe ſuperbum?
Totq, exhauſta mari, tot terra exhauſta pericla;
Dum ſedem hanc olim, pactos dum quærimus agros?
Si nunc ille idem nos ſedibus eijcit ijſdem,
Teq; irritat atrox, horrendumq; inſonat armis?
Si ſinè pace tua, ſi non tua fata ſecuti
Venimus huc, iuſſiſq; Pater conſedimus oris;
Exige nos ferro, pulſi peccata luemus.
Sin monitu, iuſſuq, tuo, teque arma mouente,
Finibus his victos noſtri pepulere colonos;
Num tua iuſſa poteſt hominum diffingere quiſquam?
Fata per obſeſſæ gentis, dextramque tuam te
Obteſtor, Solymæ Genitor miſerere ruentis,
Quam nunc mœrentem bello, fletuq; madentem
Conſediſſe vides luctu; dum numine freta
Auxilioque tuo; muris vix diſtinet hoſtem,
Bellantemque tibi, & dicenda, tacenda vomentem.
Hæc ait, at rerum iam tum qui flectit habenas,
Sacra Paleſtinæ terris defixerat ora;
Vndè homines, vndè ille ſolet molimina rerum
Deſpicere, & curſus medios, exorſaq; & oras (tur:
Succeſſuſq; operũ. hinc Solymã ergo hinc caſtra tue-
Conatuſque animæ quantùm, quantũ vltima primis
Degenerent, æquo decedant commoda quantùm,
Pectoris & ſenſum, arcanoſq; obſeruat amores
Et flexus latebroſi animi, erroreſq; viarum.
Hinc Solymæ lacrymas, hinc hoſtis caſtra videbat,

Læta fouens animis, & nulla nubilus aura.
Tum meritas æquo pœnas examine librat,
Facta & dicta parens expendens; atque ita fatur.
Ventũ ad ſupremũ eſt. nequicquã pœna moratur.
Siderei Ciues, vanos ſperamus amores.
Auerſos hoſtes ſcelus in contraria traxit,
Et magis atq; magis laxas admiſit habenas.
Heu non ſponte ſequor, proles heu debita ferro,
Vel Solymæ miſeranda manus, crudelia pendens
Supplicia: & vitæ fruſtra nos traximus annos:
Fundite humi cæſos primis labentibus aſtris.
Vno tota manus, non vno occumbere digna,
Vulnere promiſſas ſceleri tradatur ad vmbras.
Ipſe inter cædes, atque inter funera ductor;
Amiſſis ſocijs, patrias elapſus ad oras
Proruat. hic proles pauitantem, & multa timentem,
Semine digna ſeges, genitorem obtruncet ad aras;
Vt funeſta domus quicquã non linquat inauſum.
Ite: moræ quicquid ſuperadditur, additur orco.
Et ſcelus, & pœnas maiores arrogat hoſti.
Dixerat. e multis mihi millibus annuit vni;
Vltrices armare manus in bella parato.
Eſt locus æthereo medius conſpectus olympo,
Quem ſeptenæ arces ſepteno flumine circum
Amplexæ accipiunt in gyrum, & vaſta coërcent
Aequora diffuſis ſpatijs, ſcenisq;: coruſcis.
Aureus at paries ſtellatus iaſpide multo,
Artis opus miræ, & gemmis inter litus ardet.
Ordine quiſq; ſuo muros adamante ligatos,
Immortali auro fultos, ſuus abluit amnis,
Quoque ſolum magis in ſpatia interiora recedit
Hoc magis arcanos opifex oſtentat honores
Artis, opiſq; ſuæ, & gemmarum & prodigus æris.
In

In medio templum irriguo prælambitur auro
Templum auguſtum, ingens Pacis penetrale, ſuperbũ
Maieſtate, ſacrum Diuis, centum hoſtia, centum
Ex auro valuæ ſolido, ſolidoq; columnæ
Atria ſuſæ auro tollunt ingentia centum.
Huc verò rerum ſpecies, ceu munera nuſquam,
Diuitias nuſquam tota fudiſſet in vrbe
Indulgens operi Sapientia læta laborum;
Huc omnes congeſſit opes prædiuite vena.
Doctior hic varijs luſit manus argumentis.
Tecta per, atq; aulam proles reuolubilis æui
Hora, Dies, Menſes, atq, Anni, & Sæcula ludũt.
Huc delati animi, ſpoliati corpore primùm,
Et feſtas inter luces, & læta fluenta
Funeris exhauſti, & curarum obliuia potant.
Hic menſis onerare dapes, hic dicere cantu
Magnanimos ſoliti heroes, qui vulnera paſſi
Ob patriam peperere ſuo ſibi ſanguine vitam.
Hic feſtos agitare dies pæana canentes,
Et reſponſuri chordas impellere Diui;
Cum vita pulſi æthereum aſcendere cubile.
Olli ſublimes animis data templa frequentant,
Pugnatique manu geſtant inſignia belli,
Tam varij cultu, quam gente, & moribus omnes.
Sed quibus indiſtincta notis diſcrimina vultum
Conciliant: ſuperis olim gratiſſimus error.
Quales eſſe decet prognatos ſanguine eodem,
Hoſtibus huc domitis ſoliti deducere pompam,
Quadrijugoque vehi media inter millia curru,
Armaq; victores cælatis figere valuis.
Veſtibulo in primo paſſim poſuere trophæa,
Clarorum monumenta Ducum, nomenq; ſuperbum:
Spiculaq; clypeoſq; & coni inſigne decorum,
Connexamq; hamis loricam, & rore madentem

Sanć

Sanguineo, læueſq; ocreas, enſemq; coruſcum.
Hinc ſumpta, huc referunt victores, hoſte ſubacto,
Arma, ſuiquæ locant monumentum, inſigne trophæũ.
Namque ferunt olim, nitidos cũ extunderet orbes
Regnator Superum, rerum inuiolata Poteſtas;
Has poſuiſſe arces, venturi haud neſcius æui,
Bellorumq; pater, doniſque ornaſſe daturis
Hoſtibus exitium, at fidis popularibus arma.
Per clypeorum orbes ingentes, arte magiſtra,
Pugnantum rutilo fortunam imitatus in auro,
Magnanimumq; euenta Ducũ, meritoſq; triumphos.
Illic bellorum cæleſtibus omina prima
Fecerat armipotens Michaël, quæ tela moueret,
Ardentemq; igni galeam, criſtiſq; comantem.
In clypeo æternos actos in prælia Ciues,
Et motu vnanimi fratres in bella coactos
Iudicijs certis flauo diſcreuerat ære.
Illum ſerpentum ſpiris nodiſque reuinctum
Aſpiceres, ſolium audentum peruadere olympi,
In ferrum, in fratres immani mole ruentem,
Tollentemq; minas, atq; effera cœpta mouentem.
Acer anhelanti ſimilis, ſimiliſq; minanti.
Tendit in aduerſum Michaël facto agmine: telum
Sortitus fortunam oculis intorquet, & altè
Transadigit victor transfixa per ilia ferrum.
Et pedibus proculcat ouans immania ſetis
Corpora ſemiferi: deſertoreſque maniplos
Vrget, & in præceps deturbat ab æthere victos.
Ipſum eructantem flammas, viruſq; vomentem
Ductorem adſtringit, palmis ad terga reductis,
Mille catenarum nexus, per inane trahentem.
Addidit & ſtygias vndas, Erebiq; paludes
Solis inacceſſas radijs, cæcumque barathrum,
Et iunctas Erebo turmas inſana furentes.

Inde

Indè triumphatis lætus ſuccedit olympo
Hoſtibus, & templo decus immortale redonat:
Fatiferamq; haſtam, & rorantes ſanguine criſtas
Ereptas tumido exuuias, clypeumq; coruſcum.
Lætitia plauſuq; fremunt per ſtrata viarum
Cælicolæ, & magni victoris bella videntur
Dicere, mobilibus digitis cum voce locutis.
Nec procul hinc alias pugnatas robore pugnas
Humanis Animis ſimul & cæleſtibus armis,
Quæq; trahet ventura, tulit quæq; alta vetuſtas;
Et ſuperis videas mortales addere honores.
Ille ſenex centum, vt promat, miracula, virga!
Vtq; rubros virga fluctus caſtiget eadem
Aſpicias, longam propexus pectore barbam.
Molibus hinc atque hinc liquidis attollitur æquor;
Et duri in faciem dureſcunt marmoris vndæ.
Interea populus ſicco pede littora calcat,
Squamigerumq; domos, & ſquamea monſtra tuetur.
Obijce mox rupto, redeuntes agmine fluctus
Et Regem, & proceres, curruſq; in gurgite voluunt;
Scutaq; ſpiculaq; Mareoticaq; arma Tabaſſi.
Virga viro telum: monumentum currus honori eſt.
Mœnia poſt vrbis ſubitis diſiecta ruinis
Strata iacent. rauco procul increpat ære Sacerdos,
In gyrum exultans, ſacro contectus amictu.
Nec procul indè iubet ſolem reprendere currus,
Et pronum reuocare diem, dum funera victor
Aggerat, & terras fatali cæde cruentat.
Hæc clypeus Regum inter fœda cadauera ſignat.
Te quoque deſecto, religatum fune, capillo,
Et ſaxo addictum, verſantem & viribus ipſum.
Hoſtes te illudunt detonſo vertice Sampſon.
At non ludus eras, cum vulſos cardine poſtes
Ipſos ingentes humeris ingentior ipſe,

Ag-

Aggere murorum nequicquam ſeptus, in altos
Geſtabas montes: dextra cum victor inermi
Millia multa virum palantia cæde premebas:
Nec tu ludus eris, ſceleratas cum vltor ad aras
Templa mori certus quaties conamine magno:
Amplexuſque ambas ingenti mole columnas
Impelles; hoſteſque teres, templique ruina
Deſuper obtritus occumbes maximus ipſe.
Nec non hinc enſem Dauid ſuſpendit eburnum,
Ingentem clypeum, galeam, thoraca, lyramq;
Inſigni in clypeo exantlatos marte labores
Rege ſub immani, atque ipſius iuſſa Tyranni.
Cernere erat vaſtum vt frondoſa rupe leonem,
Mactaritque feros eliſis faucibus vrſos;
Viribus atque impar marti congreſſus iniquo,
Mōſtrū informe petens proſtrarit in æquore victor,
Ora puer nondum prima lanugine ſignans:
Palluit flaccidum pubes, Rex palluit ipſe,
Ipſe ferox toto Saul expalluit ore.
Prodigium infandum, atq; horrenda mole gygantem;
Terribilem & viſu galeam, telumq; coruſcum
Ingens, arboreum, loricamq; ære rigentem,
Et thoraca boum ſepteno tergore ſutum.
Illum incedentem baculo, fundamq; gerentem,
Spemq; metumq; inter dubius miſeratur. at hoſtis
Fronte minax puerum venientem ridet, & arcet.
Non tulit ille. quater circùm caput egit habenam;
Excuſſitq; rotans. Monſtro lapis impete frontem
Diffidit. ingenti ſonitu trahit ille ruinam
Saucius. vndantiq; animam cum ſanguine fundit.
Illum accurrentem, gladio colſumq; ſecantem
Hoſtes mirantur, ciues mirantur, & ipſe
Attonito ſimilis Ductor miratur, & odit.
At lyra, diſſimili ſtudio maiora prementem
Mon-

Monſtra facit: Sæuum euitantem corpore telum;
Regis & inſani mulcentem pectora cantu,
Et cælum obſcuris pandentem carmine terris;
Saxa ſuum ipſa ſono ponunt mollita rigorem;
Saxa, feræq; ipſæ vati veſtigia lambunt.
Cumq; feris circùm fecere theatra volucres.
At tibi quæ ſtatuant olim venture ſub axem
Arma Deus, geniture Deos, cælumq; dature:
Haud numeranda reor cuiquam niſi marmoris idem
Noſſe velit liquidi fluctus quot voluat arenas;
Sidera quot cælum paſcat; quot cana volantes
Bruma ferat frondes ſyluis ſtridentibus Auſtris.
Parte alia, vt cæcas miti Maxentius hoſti
Inſtruat inſidias venienti ad Tybridis vndas,
Cernitur. hinc atq;hinc ſtrictis mucronibus adſtat,
Telorum & genus omne iacit clypeata Iuuentus,
Mutua collatis confundens vulnera ſignis.
Signum purpurea demiſſum nube coruſcat,
Solis ad exortus, quo non præſentius vllum
Aut hoſtes turbare metu,aut ſpem accendere victis.
Fraude ſua captus fraudis fabricator in amnem
Decidit in præceps: crudeli cæde rubeſcit
Spumeus & pontem Tybris indignatus, & vrbem;
Vrbem quæ montes ſeptem complectitur vna:
Omnes vna premit gentes ditione ſubactas,
Exin imperij faſces tranſcribit olympo.
Indè triumphali redimitus tempora lauro;
Aureus, & curru victor ſublimis eburno
Conſpicuos ad tecta citat Tarpeia iugales;
Hinc adeo totam tercentum templa per vrbem
Sacra Deo ponet; ſceleratasq; eruet aras.
Hinc totum pietas errans impune per orbem
Ducet læta choros, & terris ſidera iunget.
Heu non læta diu, recalent heu tela cruore
Chri-

Chriſtiadum, recalent inſonti ſanguine terræ.
Nec tu, ſæue, diu luctu lætabere noſtro,
Quiſquis es, inſana ferrum qui mente retractas.
Iuncta licet tecum terrarum, Erebiq; poteſtas,
Infera vis tecum coniuret, perfide, pœnas
Crudeles ſolues, clypei niſi fallit imago.
Quem te conſtituet victo cæleſtibus armis
Sidereus miles, quem mactas impiobe ferro.
En video, quantos complenti in lite campos,
Pugnantiq; Deo, & ſuperos in bella vocanti
Deſuper actus eques cæli de parte ſerena
Fulmineus latebras animæ tranſuerberat haſta:
Mercurius quantus telo latus haurit adacto,
Ingratumq; animum ſtygias detrudit ad vmbras.
Ille etiam Numen riſu irritabit amaro,
Iam moriens ſæuus, iam funere merſus acerbo:
Cum tamen inuiſi vires teſtatus olympi,
Sanguineum nimbum ex latere eiectabit in aura,
Improbus, atque Deum indignanti voce laceſſet.
Hæc inter magnus ſæclorum interfluit ordo
Nunc habilis bello, nunc pacis idoneus armis.
Nonnunquam & Vitium, & Virtus miſcentur in vnũ.
Hinc Naupactæi ſplendent ſimulacra triumphi;
Quem pugnax olim Concordia læta reportat.
Signum immane mari niueo de marmore ſurgit
Sidereum, horrendum, curuum victricibus enſem
Deprimit, & Lunæ redeuntia cornua palmis,
Et lycijs pharetram armatam grauidamq; ſagittis,
At crines auro ſaturatos gemma coarctat
In nodum, a tergo neglectos ventilat aura,
Atq; humeris latè fuſos ceruice refundit.
Tempora nauali roſtratum ſtemmate ſertum
Gemma interſtinctum, & crines cõplectitur aureos.
Hinc volucrum Regina vnco gerit ignea roſtro

Ful-

Fulmina, quæ ſæuos olim molitur in hoſtes
Ipſa ſuo triplici gaudens Concordia nexu.
Hinc Leo adulanti ſimilis, nec noxius errat;
Marmoris & lingua criſpantes fingit amictus,
Excutiens ceruice iubam, caudamq; remulcens.
Aegide munitum deſcribit fœdera pectus,
Chriſtiadũq; animos in ferrum & fœdus euntes.
Stant binæ matres, inſignes moribus ambæ,
Maieſtate graues ambæ: quarum altera Ponto;
Altera dat Cælo: dat Terris iura, dat Orco.
Has inter roſeo deiectus lumina vultu,
Mortali maior, pelagi Dominator, olympi
Gaudia, vis olim pietatis firma labantis,
Heſperiæ Rector magnæ ſoliſq; cubilis,
Moribus, & patrijs numerum virtutibus explet.
Amplexuſq; ambas manibus permutua nexas,
Ambarum recipit circumdata brachia collo.
Tres adeo numero dicti, ſed legibus vni,
Vnanimi coluere fidem conamine in hoſtem
Auſus, iuratoſq; animos ſtupet inſcius alto
Aequore proſpectans, nec barbarus abijcit arma.
Et videt, & ſperat motus eludere tantos:
Et ſperat demens, instructis claſſibus æquor
Cum tegat, imperio cæli ſubmittere gentem;
Neſcius adductis quantùm ſe tollat in æquor
Viribus, & quantùm ſuperum auxiliaribus armis
In ferrum aſſurgat genus omnipotentis olympi.
Dependent dextra claues, quæ ſydera pandunt,
Tartareos motus minuunt: armata ſiniſtra eſt,
Et ſcuti protecta latet ſub pondere longi.
Quadrifidum ſcuto ſignum protendit in hoſtem;
Ac cenſum viridi gemma, fatale nepotum.
Omnis eo terrore phalanx concuſſa paueſcit,
Sanguis hebet, frigent imbelli in corpore vires;
Tela

Tela fluunt manibus, magis ipſis æſtuat vndis
Mens deiecta metu. rabies, inſania, cædis
Sæuus amor ferrum nequicquam ſpargit in auras.
Decolor ipſe ſinu Naupacti ſanguine mixto,
Aequore diſiectas tulit in diuerſa carinas.
Scuta vndis, galeæq; vndis voluuntur, & enſes;
Carbaſeæ & decies duplicata volumina telæ,
Turbinis in morem, capitum geſtamina ſæua.
Semianimeſq; viri terram lucemq; requirunt:
Lucem oculis, terram manibus; ſed gurgite vaſto
Vna negat duo vota viris morientibus vnda.
At quo te ſignet victoria clara triumpho?
An dixiſſe licet? liceat ſua gaudia terris
Prodere, & in noſtrum te pandere nomen iturum,
Heſperiæ columen magnæ, romana propago,
Spes promiſſa polo, lapſis ſpes reddita terris,
Farneſiæ Gentis Genus alto e ſanguine ductum:
Ardua ſtat tecto in medio Victoria in armis,
Immaneſq; humeros, immania colla, lacertoſq;
Attollens, ſublime petit ſpectanda Virago:
Et vaſta ſe mole tenet, quam dente politam
Indo, diſpoſitæ irradiant per ſingula gemmæ:
Argumenta manus doctæ: pretiumq; laboris.
Gemma per extremi tenues ſubtegminis oras
Lilia cœruleo ſimulat diſtincta colore.
Stat ſummo amplexus rubras pro vertice criſtas
Regius, & conum pennis euerberat, ales.
Læuo enſem femori (circùm quem ſqualet in auro
Baltheus, inſerta nectit quem fibula gemma)
Subligat. hunc Genitor candentem flumine tinxit,
Flumine, quo miles pallores mergit, & auſus
Securoſq; bibit ſomnos animoſq; furentes.
Vndè venit melior venis in corpora ſanguis,
Mobilitate vigens, & multa gymnade virtus,
Pul-

Pulucreoq; ſitu gaudens ſordeſcere vultus.
Nec contentus eo Genitor. ſed rurſus in ignes
Suggerit irarum. his miſcet (quis credat?) amores.
Iræ dant aciem ferro: dant pondus amores:
Laudis amor reſides in bellum vt ſuſcitet iras.
Addidit & Zephyros, & fulminis addidit alas,
Horribilemq; metum, & terrores hoſtis acutos.
Dein femori gemmis bullatis aptat eburno,
Venturo quondam in bellis ductore mouendum.
Pallida mors eboris plantas innoxia lambit:
Falx abiecta iacet, lethi immedicabile telum.
Nec non & dirum exitium comes additur illi
Tabificum: & nunquam ſurgentem adoleſcere laudē,
Aut laudem crimen patiens euadere adultam.
Inuidiæ arroſi liuent rubigine dentes,
Viperea ſq; vorant carnes, alimenta nefandi
Prodigij, pectus roſtro depaſcitur vnco
Vultur, & infuſo ægreſcentia corda veneno.
Nec procul aduerſas ſepteno vertice criſtas
Erigit (horrendum viſu) totidemque ceraſtis
Sibilat inuiſum cælo, terreq; tremendum
Portentum; cui colla tument lernæa veneno,
Suffectiq; micant oculi: tum ſqualida ventris
Proluuies, vnciq; pedes: & flumina ſeptem,
Flumina, quæ quondam ſepteno exhauſerat ore,
Eructat; flexum retrahit poſt terga colubrum,
Sanguineæ & caudæ mæandros mille retorquet.
Altiùs hoc cernens lato Victoria ferro
Imminet, & crates trans pectoris exigit haſtam;
Corruit in vulnus cocytia bellua: ſanguis,
Et tetrum ſequitur lato de vulnere virus.
Semineceṁ illa plicat nequicquam corpore caudam
At decus eximium, & clypei ſeptemplicis orbis
Non opus eſt mortale, nec enarrabile textum.
Illic

Illic vt primum magnæ ſpes altera Romæ
Aequora tentarit Naupacti, laudis amore,
Cernitur, & magnum inquantum ſpe tollat Iberum
Iam ductor, iam mille vocat ſub ſigna maniplos:
Et veſtit malas vix primo flore iuuenta.
Pene puer ducit, quam militet, ante cohortes:
Mille duces inter medius, quos Adria diues
Puppibus, Heſperiæq; ambæ miſere ſub armis.
Hinc ætate virum firmata, in ſceptra rebelles
Heſperiæ Belgas reuocantem, hinc bella gerentem
Aſpicias, Belgis hinc dantem iura ſubactis.
Hic dubium, inſtructas acies ſub mœnibus altis,
Frontibus aduerſis videas confundere martem.
Addenſant cuneos connixi viribus hoſtes:
Pro Patria Ciues, pro libertate ruentes.
Quos inter latum populans Dux inclytus agmen
Admiſſo procurrit equo, & metit obuia ferro
Corpora, limitem agens: Pietas, & Numen in ipſi
Omnia ſunt oculis, & fœdera rupta, fideſque,
Cæleſtumq; aræ fumantes cæde tepenti.
Ceu ſeptemgemino in pontum cum flumine Ganges
Aut ſeptemgemino gaudens & flumine Nilus
Scindit iter, tumidoq; ſecat ſata pinguia fluctu.
Aut ipſe Heſperiæ fluuius regnator aquarum
Eridanus, cum monte niues fluxere ſolutæ,
Spumeus Oceano indignanti euoluitur æſtu.
Nec ſe ſe capit amne tumens, portoq; timendus
Fluctuat, irritatq; ſalum popularibus vndis.
Haud ſecus actus equo cædes agit ante, metuſque
Et magis, atq; magis tutus cæleſtibus armis
Irruit, & ferro pollutas vindicat aras.
Ardua quin etiam horriſono quatit oppida bello
Muralique moras portarum, & clauſtra refringit
Tormento, & validè nutantia mœnia quaſſat.
Scin-

Scintillant oculi, ſcintillat martius ardor.
Quantus Athlas, aut quantus Athon, aut ipſe niuale
Pinifer exſertat caput Apenninus in auras:
Tanta mole ruens turritas arietat vrbes,
Deijcit & turres, & ſummas deijcit arces.
Adſtant obſeſſi Belgæ, pro mœnibus altis
Deſuper, & telis, vaſtiſq; molaribus inſtant.
Immanes Belgæ, quorum quot corpora matres
In lucem partu dederint; totidem arma mouere
Aſſueſcunt bello, & ſparſo gaudere cruore.
Fluminibus ipſis pugnant ad mœnia tortis:
Oceanoq; ipſo tutantur mœnia, clauſi
Fluctibus effusè ſtagnantibus oppida circum.
Strenuus hoc cernens, vndis ſtagnantibus ipſis,
Oceano refluo ipſo, fluminibuſque ſonoris.
Farneſius claſſes æratas (Martis inauſum
Ante genus) rigido nectit longo ordine ferro:
Pontis vt in morem ſternatur puppibus æquor,
Atq; iter atq; moras paſſim. ſecura pericli
Inſiliunt pontiq; catenatiſq; carinis
Agmina: ſubſidio venturas agmina puppes
Eminus obſeſſis prohibent: & mœnia pulſant.
Quo deſeſſa malo tandem, ſerrumq; ... croſa
Gens indocta iugi, gens intractabilis armis
Accipit imperium, verſis & fœdera ſancit
Conſilijs. Ibunt fluuiorum molliùs vndæ,
Ibit & Oceani ſedatum molliùs æquor.
Lætitia plauſuq; calent, & ſepta domorum,
Atq; viæ; inualidiq; ſenes, & vulgus inerme.
Ipſum inter Patres lætum, primoſq; Senatus
Alternantem oculos flauo deſcripſerat auro
Omnipotens. medios gaudens Pax inter oberrat,
Et cum Pace ſoror niuea Concordia palla:
Stant ciues haſtis innixi, & ſcuta recinant:

Im-

Immixti pariter victi victoribus, armis
Sublimes varijs, Ductoriſq; ora tuentes,
Neſcio quid ſecum læti muſſare videntur.
Magno exinde Patri ſacras proiectus ad aras
Exſoluit ſupplex ſubmiſſo poplite grates;
Aetheream q; dapem, & diuinæ frugis honorem
Ductorum, & Procerum media inter millia libat.
Centum adeo magnas inſtaurat templa per Vrbes,
Et cultum, & templis reuocatum reddit honorem.
Ipſe diem exoſus Pluto, prædaq; relicta,
Infandum horrendumq; caput ſub tartara condit,
Sanguineo ore ferox frendens domituſque catenis:
Nec non & ſumptis armis exterrita quondam,
Auſa redire, ſuos præſens iam ſpectat honores
Relligio, candenti humeros circumdata panno.
Caſta fides, & caſtus amor comitantur euntem,
Lætitiæq; chorus, virtutum & lucidus ordo.
Macte nouis Ductor virtutibus, inclyta proles,
Auſoniæ decus antiquæ. Quæ ſæcula, quæ te
Expectant ſerum? quid gaudia tanta moraris?
O mihi dulcis amor: o formidabile nomen
Hoſtibus, egredere o Mundo expectate vocanti.
Quid te, quid cæli retinet iuſtiſſima cura?
En ego cæde tuum ex inimico ſanguine ferrum
Imbui, & hæc habeant Bellæ diræ omina pugnæ.
Talia per clypeum mirabar prælia, tanti
Tactus amore Ducis. vagina protinus enſem
Eripio, ſummiq; ſequor mandata Tonantis.
Quod ſupereſt, læti benè geſtis, ſoluite, rebus,
Atq. preces, & ſacra Deo date thura volentes.
Hæ ſunt Aſſyrium exuuiæ, & de rege ſuperbo
Stat ſpolium: ne mox ſæuos horreſcite Reges
Seruati toties bello, bellique periclis.
Iras & ferrum exacuant, & mœnia cingant
Obſi-

Obſidione licet: Nilus coniuret Hydaſpi.
Haud vis vlla poteſt fatalem excindere Gentem;
Numina cui cælum, cælo quæ numina debet.
Hac ſuperum vires, & dextera numinis hac ſtat.
Vtq; fides dictis adſit; Rex veſter opimus,
Atq; ope barbarica lætus, ſinè cæde ſuorum,
Subuectat prædas vrbi, portiſq; propinquat,
Ille etiam rebus diuinis ritè peractis,
Aſſyriam gazam, gemmas, aurique talenta
Plurima, quæ aſſueuit gens fortunata Canopi
Congerere; in populum largè partitus ouantem,
Præcipuos meritis Ductoribus addet honores.
  Ergo agite & cuncti lætum celebrate triumphum;
Qui conferre manus primus, cui conſcia virtus,
Quem prædulce decus ſemper, quem arrecta cupido
Quem ſucceſſus alit laudum ſalientiaq; haurit
Corda furor pulſans, ſtudijſq; inſtigat honeſtis.
Cuncti adſint, meritæq; expectent laudis honores;
Ore fauete omnes, & ſpem præſumite palmæ.

Digitized by Google

CANEPHORAE VIRGINES AD SEPVLCRVM

B. ALOYSII GONZAGÆ.

THYASVS.

CARMEN VI.

SVnt mihi bis ſeptẽ, ſoboles pulcherrima, Nymphę
Protinus in numerum cæleſtis ab indole Patris;
Te Gonzaga ſibi ſimilem, & tua ſigna ſecutæ:
Omnes ſidereæ, patrijs virtutibus omnes.
Hæ tibi, flos Iuuenum lectiſſime, ſacra quotãnis
Dona ferunt faciles, & inumbrant frondibus aram
Inſignem gemmis, & multicolore paratu.
Omnibus vnus amor, ſolemnes inter honores
Inſtaurare choros tumulo, ſemperque recentem
Flore locum feſtis vltro luſtrare choreis.
Iam nunc vt meritas inducunt ordine pompas,
Mentis ad exuuias magnæ, cineresq; beatos,
Nexilibus iunctæ manibus: tum myrrhea larʒè
Munera certatim chorus hic, chorus ille viciſſim
Thurea, virgatis circumducunt calathiſcis.
Aſpice; teq; tuo ne ſubtrahe, pulcher, honori:
Quo de cunq; loco tandem ſtellantis Olympi
Dexter ades: lucemq; tuam, cœtumq, tuorum
Concelebras: atramq; a vultu innubilus vmbram
Diſijcis: & roſea terras a fronte ſerenas,
Inueſtes tibi pube genas ſic Gratia ſemper
Pingat; & ingenuæ ſpirans in luce iuuentæ
Sancta repubeſcat, numen geniale, voluptas.
Sic tua te Cælo niueis inuecta quadrigis
Proferat in maius præſenti numine Virtus;
Muneribus virtus effuſa perennibus vltro:

Et

Digitized by Google

Et latè in populos felix, & prodiga votis.
Si te (quod taciti veneramur & vndiq; plauſu
Exequimur, morum memores, decorumq; tuorum)
Nil iam debentem terris, atq; aſtra tenentem,
Munificamq; fidem teſtantem numinis vſu
Virgineis vlnis ad ſacras accipit ædes
Ipſa ſuas Virgo, pulcri Regina pudoris;
Exequijs nunc æqua tuis, vt amoribus olim.
Interea vos vnanimes hinc ite Sorores,
Quàm variæ vultu, ſimiles tam moribus omnes:
Et reſti de more data per mutùa dextris
Ad tumulum faciles flexus, facileſq; reflexus,
Et labyrintæis ſeptenos orbibus orbes
Explicitæ, implicitæq; cito decurrite greſſu.
Quo tremulas mundi flammas latonia ritu
Noctiuaga ſuperum ſerie glomerata recenſet:
Myrtoum quo more ſalum, medioue nitentes
Cycladas Aegæo celeres delphines in orbem
Exercent: aut ante natant: aut ponè ſequuntur:
Nunc hos, nunc illos ineuntes agmine curſus.
Qualia Troijugenum certamina pulcher Iulus
Inferias inducit Auo, varijſq; ſub armis
Inpubes ſimulata choros in prælia ternis
Implicat ordinibus, terno duce bella cientes.
Omnibus in morem ſplendet coma fuſilis auro:
Omnibus it niueum per collum circulus auri,
Ex humeris phrygiæ chlamydes, habileſq; pharetræ;
Et picturato vincitur ſura cothurno.
Nec minus in Thyaſum, florentes aere cateruæ,
Vos decet ire, pares animis, armiſq; per vrbem
Frænatis alacres in equis: quas turbidus auro
Mincius a magno deducit Agenore turmas:
Quæq; Bianoreo cenſentur ab amne Paduſæ:
Quas & Ophioniæ iactant ab origine Thebæ;

E ſulcis quæ dente ſatis vel inhorruit haſtis.
Sidonio clypeata ſeges non æqua colono :
Quas vel ad Aonias celſis e rupibus arces
Pindaricis Dirce fidibus, monſtriſq; Cytheron
Nobilior, doctique exciuit pollicis ictu
Septem Amphionijs teſtudo garrula neruis.
Vos & olorino Cadmæa per oppida cantu
Aeternas Iuuenis laudes, & facta decebat
Dicere : qui Piſæ ludos, lucoſq; Molorchi
Semper, & Heliadum palmas meditaris equarum :
Troica Mantoo renouas qui pergama plectro,
Laomedonteo repetens a ſemine Romam,
Mæonio nec voce minor, nec pectore Vates.
Teque Bianoridum longè clariſſime Princeps,
Romani iam nunc Princeps pars magna Senatus,
FERDINANDE, tui ſpecimen venerabile ſæcli :
Spe generis maior : virtutis & indole maior :
Artibus ingenij felix, & diuite lingua :
Cui virtus ætate prior, ſub limina vitæ
Anteit & ſenij curas, & facta parentum
Ocyor : & ſtudij medios intercipit annos :
Tradere quo iuueni rerum feſtinet habenas;
Et magnis agitare velit ſub legibus æuum.
Te conſanguineæ fas eſt accedere parti :
Et titulos explere tuos, & nomina gentis.
Quem circum effuſi ſtudio gentilis honoris
Ibunt in ſeriem, quos multo ſtemmate florens
Mantua, Benacuſq, Pater per ſceptra, per artes;
Per trabeas alto miſſos a ſanguine Regum
Accepitq; Duces; aut Patres rite vocauit :
Aut coluit dominos : aut Regnis auxit auitis :
Aut Anchiſiadum ſacro ſuſpexit in oſtro.
Aſt ego : ſiue ſui memorem quod ſæpe merendo
Fecit Aloyſius : ſeu quod ſibi vendicat omnem :

Fe-

Feſto rite vacem tumuli florentis honori
Siderei Iuuenis, ſertiſq; recentibus aram
Accumulem ſupplex: & toto pectore adorem.
Dum Vaticani ſententia certa Senatus,
Expectata diu, votum ciuile retardat:
Et Patris Auſonij pendet mens æqua: nec ille
Abnuit: at quærit meritis quæ maxima ſummis
Gratia; quæ Romæ decreto Gloria reddi
Digna ſit: ordinibus diuûm qua lege ſit æquum
Egregium adſcribi Iuuenem, quo more ſacrorum.
Nunc plenis Nymphæ calathis libanitide ſylua
Meſſis odoratæ grato munuſcula cultu
Deproperant: celebrantq; choris, celebrantq; choreis
Virgineum Ciuem, tranquillæ Pacis Alumnum.
Hic te ſiderea iam nunc in luce Beatum
Ad fortunati cineris vitale ſepulcrum
Expectare ſat eſt vario redimicula flore
Texta, puellari ſtudio; quæ ſponte quotannis
In morem tibi lecta nouat Mauortia pubes.
Hinc te multiplici radiatum ſidere ſupra
Aetheream q; plagam, ſupraq; volubilis orbis
Mœnia, regalis ſupra flammantia Templi
Atria, fulgenti conſpectum in veſte feremus,
Lætum luce noua per gaudia feſta feremus,
Circumfuſa manus tumulo, primæua iuuentus
Ocniadum, Aeneadumq, tuis in honoribus ardens.
Nec te pœniteat noſtri, iuſtiſſima Cæli
Cura Puer; quamuis ex omni parte Deoq;
Et tibi nunc placeas, nos diſpliceamus ab omni.
Nam ſæclis effæta nouem benecolentia poſtquam
Cinnama compoſuit Phœnix, iterabilis æui
Fata ſibi relegit: vitamq; ſuperſtitat, alto
Immoritura rogo: ſe ſeq; reſeminat ipſa,
Exequijs enixa ſuis cunabula vitæ.

Et iam ſupremum in cinerem dilapſa repentè
Emicat in lucem; liquidumq; per aëra tranat,
Viuida ſole nouo, nec ſegnior alite flamma:
Oſtro ſparſa caput, natiuo diſcolor auro,
Et ferrugineis guttata coloribus ales.
Nec mora fit: ſeries variarum denſa volucrum,
Neſcio qua præter morem dulcedine pulſa,
Inferior licet, & longè iam decolor vni,
Facta nube, cito circumſtrepitare volatu
Audet; & applauſis per inania nubila pennis;
Prouocat & zephyros, & ouanti gutture cantus.
Illa coloratos reditum meditatur ad Indos;
Aut dites Arabum ſyluas, aut regna reuiſens
Vltima, nil volucrum cœtus pertæſa minorum;
Aut poſiti ſenij vetus aſpernata cubile.
Nec te prima tuo pigeat ſpectare ſepulcro;
Legitimum ante diem, laudati liba pudoris;
Nec monumenta tuæ, nec noſtræ pig ora curæ:
Quæ nunc parua damus pro tẽpore, sũma merenti;
Et vigiles ignes, ſactoque natantia ſemper
Lumina in argento: phrygijſq; illuſa figuris
Stamina textilium; ſub tecta precaria donis
Aucta tuis, ſedemque opulentam Numine Matris.
Olim tempus erit: cum te maioribus vrbes
Acceptum ſtudijs, vario ſplendentia ſaxo
Ad tua templa vocent: gemmis quæ maxima Roma,
Maxima quæ gemmis decorabit Mantua felix.
Auguror: in multas non hæc mihi gaudia meſſes
Prorogát Iaſidum Rector, mundiq. Sacerdos,
Tergemino frontem redimitus ſtemmate Paulus.
Sed tamen ante meos obitus vtinam ille volucres
Incitet & ſoles, & pronis menſibus inſtet:
Promiſſiq; memor, iuſti ſolemnia Sacri
Ad Vaticanam medijs in millibus ædem

In-

Inſtituat, pupuliſq; tuos commendet honores:
Et bonus adſenſu properantia vota ſecundet.
Quod ſi ſpe citius labentes increpat annos:
Teq; repræſentat ſtudijs popularibus Heros;
Tunc ego non dubitem folijs pallentis oliuæ
Nexus; & æquæua ſtipatus pube, per aras
Sollicitare tuas ebur immortale, canora
Voce ſequens digitos, digitis diſcrimina vocis.
Nam ſequerer cantu: iuſto cur tempore mater
Caſta, puerperij nullos experta dolores,
Diuina tulerit puerum te luce refectum.
An Cælo prius, an terræ ſubriſeris infans:
Cum gremio complexa Parens Sapientia paruum;
Sic adfuſa ſuper ſibi te fingebat habendum.
Illa ne, tum roſeis immulſerit vbera labris;
Quæ viuacis alunt magnos virtutis amores,
Et dociles animos, & caſto gaudia ſenſu,
Numinis & flammas, & puri luminis hauſtus.
Quid tantum tibi tam tenero tam Sanctus, & acer
Imperitaret amor: quæ tanta potentia flammæ
Ad purum excoqueret ſincero in pectore mentem:
Vt noctes puer inſomnes, hyemeſque ſerenas,
Exigere excubijs; vt totos ordine velles
Exercere dies, animo feſtinus in omnes
Vertere te mores, laudumq; capeſſere ſummam!
Vlla ne tam recti fuerint exempla decori
Nobiliora tuis, æquales inter ephebos;
Aequales æui ſpatio, virtute minores:
Seu volucres animi ſenſus includere gyro
Cogeret, imperiumq; ſequi rationis, honeſtas:
Seu caſtum tua te pietas inferret Olympo,
Aſtra laceſſentem, ſuperoſque in vota vocantem.
Inclyta ſeu celeri decurrere mente lycæa;
Et curis agitare perennibus, impetus eſſet,

Nec tamen interea doctis exercita curis
Non vllam in ciues, operamque, vicemque laborum
Ignea vis animi largè deferre ſolebat:
Atq; animum, atq; animã miſerorũ impendere votis.
Omnibus opportuna fides, diſcrimine nullo,
Nullis victa malis. Scit triſti peſtifer annus
Sidere: cum latè Heſperias graſſata per oras
Dira fames: cæli vitio contacta gregatim
Agmina corripuit: depleuit ciuibus vrbes:
Funera funeribus ſuperaddidit, edita vulgo.
Quin coaceruatis congeſta cadauera paſſim
Fœda cadaueribus (monſtrum miſerabile viſu)
Cernere erat: nullamque viam ſperare ſaluti.
Muſſabat medicina: malo ceſſere magiſtri.
Quippe inſincero latè contagia tractu
Prodita vulgarat diri inclementia morbi.
Cum; tua te, nullis hominum cogentibus, vltrò
Impauidum virtus, ſub tanto turbine rerum,
In medios Iuuenem luctus immitteret, ægris
Auxilium, & mœſtis ſolamina ſumma parantem:
Vrentemque genas fletu, gemituſque trahentem;
Ancipitiſq; omnes properantem temporis artes.
Et mirer; ſi votiuis prætexta tabellis
Splendet adhuc, quocunque loco tua floret imago?
Si nunc illa eadem miſeris clementia præſtat
Exorata fidem? ſi te, facto agmine, Diue,
Ad cineris circumſiſtunt monumenta ſalubris,
Omnia nunc omnes generatim dona ferentes?
Hæc ego non humili, Iuuenum pulcherrime, cantu
Ordiar: ad noſtrum ſi quando iuſta rogatum
Accedant decreta Patris, rata ſacra iubentis.
Ordiar; &, noſtri niſi te faſtidia tangant
Carminis; in laudes, vatum quæ prima, laceſſam
Nomina: te numeris, Amphion, ſaxa trahentem,
Te deſideriũ ſolantẽ coniugis, Orpheu. IN

IN STVDIORVM INSTAVRATIONEM.

CARMEN VII.

AN Deus hanc imo verſat ſub pectore curam?
An ſua cuiq; Deus laudum fit dira cupido?
O feror: o quocunq; feror. ſeu numinis œſtrum:
Seu furor hos duris exercet in oſſibus ignes.
Impetus eſt, ſpumantis equi propellere curſum
In medias Heroum acies; ferroque frementis
Fulmineo pubis denſa diſcludere turmas.
Magnanimoſq; duces, iuuenumq; examina latè
Fundere, quà crudæ feruent ſpectacula pugnæ:
Agmina quà raucus flexi canor increpat æris.
Quid iuuat ignaui complere ſedilia circi?
Et populi plauſus curuo captare theatro?
Non omnes thymele tangit, querulumne logæum,
Et refluum rauci per pulpita ſyrma tragœdi,
Qui fruitur propiore Deo, quo iudice laudis
Flector ad auſpicium venturæ, fræna laboris
Cui commiſſa mei; mœſto decedere ludo
Iam dudum monet inuitum: nec mobilis æui
Otia me patitur ſtudio traducere inerti.
Tempus erit, poſito ſident cum bella tumultu;
Et meus Aeneas deiecto ex hoſte triumphum
Inferet auſonias, curru ſublimis, in vrbes.
Cum roſeas deiecta genas Lauinia virgo
Matribus incedet centum glomerata latinis:
Et regnum dotale viro, damnataque marti
Edere: tunc belli ſimulacra ciere decebit.
Tunc ego, ſi libeat Dircæum tangere plectrum,

Acceptus Procerum cætu, vulgiq; corona
Attoniti medius, celeſtia regna volatu
Traijciam celer igne nouo: ſuperumq; beatis
Inſerar ordinibus: relegamq; exordia rerum.
Vt Deus ipſe ſibi Deus eſt: vt flore leporum
Ingenuo æternùm ridet; ter & vnus, & idem.
Neue rear tres eſſe Deos, & rurſus aceruum
Congeriemq; Dei, terno ſe nomine ſundit
Numen idem, Patris, Sobolis, Spirantis Amoris.
Fors etiam teneri euoluam certamina cæli,
Aethereaſq; acies ductas diſcordibus armis.
Hic mihi ſe quantus vindex natalis olympi
In clypeum attollet Michael? atque æthere roto
Acer, & obſeſſo fratrem ex Aquilone fugabit;
Sceptra affectantem, & tumidos in bella vocantē?
Nec mora: ſortitus fortunam vulneris, haſtam
Vertet in aduerſum; atq; euerſum cuſpide fruſtrà
In cubitos ſe ſe conantem attollere: pennis
Iam lapſis, iam ſemiferum, iam vulſa trahentem
Aſtra poli; cidaris iam fragmina mœſta tuentem,
Exiget: exactum pallenti claudet Auerno.
Qua mox arte tener mundi concreuerit ordo:
Et qua molle lutum fingens, animata calore
Corpora, cognati ſuffuſo lumine cæli,
Fecerit ille ſator rerum: mox debita factis
Regna pijs, vt opus, ſtellantia templa tueri
Iuſſerit, & cælo ſublimem attollere vultum;
Ad cytharā inflectam & factum lacrymabile Matris
Congenitam vndè notam culpæ traxere nepotes.
Iam nunc ex omni nimbos concurrere cælo,
Vt ſcelus infandum tollant vltricibus vndis;
Et defrænatos rupto molimine fluctus,
Correptoſq; hominum cætus, & ſæcla ferarum
Aſpicio vaſto volui ſub gurgite. Ponto

Ru-

Rura natant: ſegetes ſternuntur: vota coloni
Deplorata iacent: fluitat labor irritus anni.
Spem generis domus vna vehit, luctamine nullo,
Remigio nullo: tot millibus vna ſuperſtes.
Cætera pontus habet: nec habet ſua littora pontus.
Nec procul hinc arbor fuluo de ſtipite ſurgit
Fulua comas: fuluis inſidunt ſæcula ramis;
Ordine quæq; ſuo, Iſacidum: tenet vltima Virgo
Aurea, cui niueo dependet ab vbere natus
Concolor, & matris mammas iterare videtur
Sæpius arridens. fouet illa ſinuq; genaq;
Indulgens; eheu quantùm nunc diſtat ab illa;
Cum membris affuſa ſuper, pallentia palmis
Pectora contrectans, exanguis vulnera nati,
Vulnera, quæ nobis pariens tulit ille ſalutem;
Largifluo ſparget lacrymarum flumine mater!
Interea ſubit ille lacus caligine merſos,
Et centumgemino molitur vincla Draconi,
Sanguineas voluenti acies, & colla tumenti.
Et mox ætherεas, ſpolijs Acherontis opimus,
Sponte plagas relegens, patrio ſuccedit olympo
Victor, agens turmas phœniſſā veſte nitentes.
Nec longum tempus: late cum mœnia mundi
Diſcedunt: rutilis cæleſtis depluit ignis
Nubibus; ingenui quondam moturus amoris
Corde faces; rutilis igneſcunt omnia linguis.
Mox aliter rutilis cæleſtis depluit ignis
Nubibus, irati quondam moturus amoris
Orbe faces: rutilis igneſcunt omnia flammis.
Poſt hæc voce ſequar conſeſſu Numina magno
Fæcundum culpæ genus expendentia, magni
Iudicis arbitrio, & duras repetentia pœnas.
Iuſtitio indicto cæli, terreque, marisque.
Protinus æquato tranabit nubila curſu

Digna Deo ſoboles, magnum Patris incrementum
Hic mihi meta rotas ſiſtat: mundoq; nouato
Stent immota loco nullis redeuntibus annis
Sæcula; ſol volucres vbi ſoluet ab axe iugales.
Nec non e cælo digreſſus, cætera cantu
Exequar: exorſus rerum, cauſaſq; latentes.
Illa potens operum quicquid natura per vndas,
Quicquid alant terræ, quicquid genitabilis aër:
Qua de ſtirpe fluat, quicquid ſol cernit adultum,
Expediam: vndè animis contingant ſemina noſtris.
Et quo nata loco iaceant, quibus aucta ſeneſcant.
Longiùs hinc citharæ ſtudio detentus abibo;
Veliuoliq; maris cernam ſpumeſcere fluctus,
Cærulaq; adducto remorum verbere verti.
Ponderibus librata ſuis, ratione, modoq;
Remige Iaſonio Pinus Pagaſæa feretur.
Aſſilient vndis curui delphines in orbem:
Et cœtu nauim cinget gens humida ponti:
E ſcopulo mirata, leuem cum ciuibus vrbem
Poſſe freto, & currum volitantem flamine ferri.
Moliar & mores, & docti inuenta lycæi,
Et quas per campos ſolertius extudit artes
Ingenium: inuentas auxit ſolertior vſus:
Et quas exercent claris authoribus vrbes:
Quoſq; pharetratos acer iubet ire Lycurgus:
Quoſq; fouet niuea gaudens concordia palla.
Indè Syracoſium ludentem vera labore
Aſtra Senem, & ficti mirabor ſæcula mundi;
Mentitamq; manum gemmati fœdera cæli:
Iura poli: rerumq; fidem: ſoliſq; meatus:
Stelliferumq; vitrum rapida vertigine pulſum.
Nec te prætercam Claui: qui nobilis anni
Errantem ſinè lege fugam, ſinè fine fluentem
Intrà præſcriptum reprendis; & auia rurſus

In

Digitized by Google

In ſtatione locas, & iuſſo ſæcula gyro
Exercere vices, & certo fœdere cogis.
Quô ſuus in templis ordo, rituſq; ſacrorum
Conſtet, & humanæ ſeruet commercia vitæ.
Hæc cytharæ: ſed ſi libeat conſidere circo
Rurſus, & aulæis proſcenia tendere pictis;
Forſan Agenoridum referam vt certamina fratrum
Seditione trahat duplicis diſcordia fumi:
Aut Agamennonio vt ſceptro ſubſedit adulter
Degener: vt binis luſtris, lentoq; duello
Europæ, atq; Aſiæ, modò partam in limine palmam
Fregit Amazonia coniux accincta bipenni.
Textilis aut peſtis flammas, thalamoſq; Creuſæ
Ignibus abſumptos, ſæuas & Iaſonis iras,
Et tumidum regni nequicquam in ſtrage Creontem
Dequerar. at celeres curſum molita per auras,
Vlta virum coniux natorum ſanguine mater
Actias vda citat bi iuges ad frœna dracones.
Non Lacedæmonias arces, bimaremue Corinthũ,
Non caligantes extincto ſole Mycenas,
Non profugi taceam redi us, cænamq; Thyeſtæ.
Aut hæc ſi vulgata nimis, ſi graia latinis
Ad Thimelem mutaſſe iuuet; iam Romula nutrix
Alba mihi latium c auſo Numitore cothurnum
Aptat: & Orcheſtræ diſtringit Amulius enſes.
Quid ſi carpento Patris ſuper oſſa citato
Tranſeat; & Patrem, & Romanas obterat arces
Impia, nec Patriæ, nec Patri Tullia felix?
Iam, Torquate, tuos faſces, triſteſq; ſecures
Scena vocat: natumq; tuum, te vindice fortem
Ah fruſtra iuuenem: ah natum qua fraude perēptũ
Roma gemit? gaui ſa modò natiq; triumpho,
Et patris auſpicio, ſed te nec Roma ſeuerum
Eximat e faſtis: nec natum fama ferocem.
Tu

Tu tibi crudelis Patriæ memorabere mitis:
Ille ſalutaris Patriæ, ſibi flebitur hoſtis.
Quid mihi tu noſtro Pharſalia tincta cruore
Pompeij memoras lapſam ſinè vindice laurum:
Et triplicem rurſum redeuntem in caſtra triumphũ?
Quid Bruti trabeas repetitas omine læuo?
Atq; aquilas aquilis, & pila minantia pilis?
Digna viro virtus: & auiti pectoris hæres;
Quæ feſſam excidijs, inuiti & pondere regni
Laomedontiadum nutantem ſiſteret vrbem,
Sed ſuperis aliter viſum: qui ſæcula Romæ
Altera, qui cælo tranſcribere regna parabant.
Et nunc ſemirutis pendent quod mænibus arces
Diuitis ah quondam Auſoniæ: quod ſtrata ruinis
Roma iacet Romæ: lapſiſq; ingentia muris
Membra vides; tantæque vrbis tam triſte cadauer:
Quod non Heſperiæ faſces, vt nuper Iberus,
Gemmifer & Ganges, & Gange ſonantior Iſter
Nunc colit, & ſeptem digeſtus in oſtia Nilus:
Non tu Brenne ferox, tantis non cladibus auctor,
Spartace, Sidoniæ non Annibal vltor Eliſæ.
Incubuit ſed Roma ſibi: quia vincere Romam
Nil niſi Roma poteſt ciuilis vulnere dextræ.
Quod ſi non aliam venturis ſæcula regnis
Inuenere viam: veroq; humana parantur
Regna Deo: latiumq; ſuo ſeruire Parenti,
Non niſi magnorum potuit poſt regna Quiritum
Diruta, & auſonia fœcundos cæde Philippos:
Iam nihil o ſuperi querimur. Pompeia clades:
Et Bruti cineres: funeſtæ & prælia Mundæ:
Impoſituſq; Orbi Cæſar, captuſq; Senatus:
Quaſq; premit claſſes Athamano in littore Leucas:
Congreſſæque tubæ ſiſtris: & pila ſariſſis:
Et Tyberi Nilus; ſeruiliaq; arma ſub Aetna:

Et

Et latio Pœni ſaturati ſanguine manes;
Hac mercede placent. eſt tanti, funditus Vrbem,
Et ſeptingeminas excindi in collibus arces:
Et trabeam,& laurum,& cinctum ſoluiſſe Gabinum:
Et te ſuccubuiſſe tibi, Romana poteſtas:
Pontificum triplex laurum ſi ſtemma caducam;
Si lituum litui, ſi regnum regna rependunt.
Multum Roma tamen Bruto licet obruta debes,
Auguſto vel teſte tuo: quod iure ſenatus
Maluit, Imperioq; tuo; quam Cæſaris vti.
Et voluiſſe tibi, ſatis eſt. date lilia plenis
Huc calathis iuuenes, Pimplæo ablecta receſſu.
His Ducis ingentis tumulum, maneſq; ſepultos
Accumulem ſaltem donis: totoq; theatro
Fletus eat: quædam miſeris eſt flere voluptas,
Hæc ego nō humili pangam(modo vita ſuperſit)
Carmine: ſi quando defunctus marte feroci
Heros ille meus ſuccedet in oppida victor.
Interea Turnus dum Troia territat arma:
Et Rutulū hinc ductor: Lesboæ hinc victor Arisbæ
Explicita legione ruunt: mixtuſq; viro vir
Mutua collatis confundit vulnera ſignis:
Arma virumque cano, qui condere moribus vrbes,
Qui queat & bello ſæuos contendere Reges
Mantoi longè ſeruans veſtigia Homeri.
Duc age, duc Virgo, venturi præſcia, cæci
Filia Tyreſiæ, qua lentis flexibus errat.
Mincius & glauca prætexit arundine ripas
Angulus ille mihi nunc præter cætera ridet.
Sit mihi fas antro ſuccedere; caſta latinum
Nectar vbi labris immulſit Muſa Maronis:
Auſonis & Graiam nunc numine prouocet æquo
Aenéis Iliada, & Reditum pellacis Vlyſſi.

DE POESEOS LAVDIBVS.

CARMEN VIII.

NVnc age: diuinas, auguſta Poëtica, laudes,
Vt melius, prælude tuas: o aurea Virgo,
Ingenij ſoboles, primæui mater honeſti,
Facundæ Regina Lyræ, Cæliq; Sacerdos
Enthea: quæ chlamydis ſtellatum ſyrma reducis:
Veſtis & vndoſo verrens veſtigia limbo,
Aſtra per incedis: cœtuq; remixta noueno,
Vna choris inſtas: inſtauras vna choræas,
Aeternaſque rigas æterno nectare Mentes.
En ades, o cygni vel mutis piſcibus olim
Donatura ſonum, tibi ſi tua munera cordi:
Si tibi ſufficitur Romana per oppida Proles,
Quæ ſacris operata tuis, te mentibus vltro
Ebibat attonitis: liquida dein voce refundat
Per populos grato permulcens corda lepore:
Siue Sophoclæo gradietur nixa cothurno;
Cum Medea tumet: coquitur vel cæna Thyeſtæ.
Seu lariſſæum caſtris educet Achillem,
Dulcia Mantoo perfundens carmina melle.
Aut vbi, Cecropio melius Comœdia ſocco,
Romula Plautino ſoluit proſcenia riſu.
Aut vbi Lesboo certans chelys æmula plectro
Daunia, Dircæi meditatur pollicis ictum;
Incipe: ſi bibulas omnes admouimus aures:
Vertentiſq; anni preſſerunt murmura cauri,
Et tandem abſurdi fecere ſilentia nimbi.
Sic ego. Vix mota diuina Poëtica lauro

Cum

Cum eiet vndenas arguto pectine chordas.
Vt lyra conticuit, varijſq; interlita gemmis
Virginis ex humeris onus immortale pependit:
Tum facilem motum virga modulatur eburna;
Maieſtate manus flectens ad carmina geſtum,
Humanoq; modo maior, ſic voce locuta eſt.
A Patre principium rerum: Patris omnia felix
Numen obit, ſimiliq; trahens exorſa tenore,
Vltima ſubtexit medijs, & prima reducit.
Scilicet æterno Soboles æquæua Parenti
It comes, & mundum facili ratione pererrans,
Omnigena doctæ præludit imagine formæ.
Et Patris, & Sobolis comes igneus Halitus ingēs,
Amplexus indiuiduos per mutua nectens,
Abſimilem ſeriem ſimili de ſtamine texit.
Numen idem, virtus eadem, vigor vnus, honeſtà
Indiſcretus apex, & vis vberrima Mentis
Perſonis tribus ingenua ratione reluxit.
Ante, Poli, quam multiplices extunderet orbes
Conſilij Natura potens: teretiq; coactos
Mole globos gemino librans appenderet axe.
Par ſibi tum, ſimiliſq; Deus, ter & vnus,& idem
Sæpe mihi dictus, dicendus ſæpe: ſecundo
Numinis afflatu, mundi per conſona membra
Inſinuans bonus adſpirat, numeroſq; retractat
Vſq; ſuos Opifex, longè numeroſior Ipſe.
Temperat vt ſeptem quondam diſcrimina vocum
Doctiùs Aſcræa teſtudine, Regius ille,
Ille puer ſtrauit vaſta qui mole Gygantem,
(Ante manu gemina preſſos eliſerat Vrſos,
Horrenteſq; iubis ad ouilia plena leones)
Cum Ducis inſani ſolatur carmine curas.
Atq; euitatum declinat corpore telum.
Aut diſpar veluti ſeries, & ahenous ordo,
Ducti-

Ductilibus cum inſuſa tubis ciet aura ſonorem,
Diſſimili cupidas concentu detinet auras.
Multifido vagus inſinuat ſe ſpiritus æri:
Mobilibus digitis calamos irritat hiantes
Docta manus, numerumq; ſonos partitur in omnes.
Sic opus ipſe ſuum Deus indeprenſus oberrat,
Et ſtabili mundum iuuigilans ratione laceſſit:
Atq; animo indulgens, & magno victus amore
Diditur, & facili numeros attemperat arte.
Scilicet hinc doctè varius conſenſus honorum
Accinit: hinc riſit ſpecies pulcherrima mundi.
Hinc decor, hinc florent æterna luce lepores.
Continuò cælum qua ſola mente licebit
Contemplator; eunt vbi magno gaudia motu
Integra, perpetuis indeficientia riuis.
Hic tibi quid memorem, quanto ſe Dia voluptas
Inuehat allapſu, cætus ingreſſa volucres?
Vt ſe tam largè ſenſu ſublapſa ſalubri
Digerat in venas, lætoq; exuberet auctu!
Et nunc iucundo tranquillet corda ſopore:
Nunc immortali vitalia gaudia riſu
Sollicitent caſtis exercita pectora curis.
Quo ſimul incaluit nimio mens ebria motu;
Vt flabris commota cient incendia vaſtum
Magna ſonum: ſic illa modos, & carmina ſemper
Integrat, & latè reſonat concentibus æther.
Hoc genus, hic ortus; generis ſi quæritur auctor;
Hic ſatus, hac noſtrum ſe iactat origine nomen.
Nam quia fæcundat præcordia luce marita
Numinis vbertas; arcani fætus Amoris,
Editur æthereo primæua Poëtica partu;
Pectoris interpres felicis: lingua leporum:
Viuida vis mentis; decorum natiua venuſtas:
Ingenij ſpecimen; ſermonum gratia viuax:

Lætitiæ facunda ſoror: cæleſtis origo.
At Genitrix vt me peperit diuina Voluptas:
Gaudia ſic ſemper mihi ſunt ex indole Matris.
Et quo me Genitrix effudit tempore primùm,
Continuò ſermonis opes, virtutis honeſtas,
Et placidi ſenſus, & donum fertile mentis
Eloquij mihi cultus honos: & copia diues
Carminis, & cytharæ leges, lituiq; tubæque,
Tibiaq; atq; Chelys proles numeroſa modorum;
Et quæ diſparibus, digito decurſa loquaci,
Carmen arundinibus, Berecynthia fiſtula fundit:
Et qui diuiduo ſe ſpiritus egerit ære
Fuſilis; atq; omnis vocum concordia diſcors.
Huc age nunc vacuas aures aduerte; docebo,
Vnius vt generis varius deducitur ordo:
Et quanto mea ſe ſoboles proſeminat auctu:
Quæq; notam generis referunt: quæ carmina porro
Degenerant, oblita ſatus, moreſq; priores.
Principio quicquid diuino fonte quid autem
Non illo de fonte fluit? ſe longius effert,
Et varias Mundi felix excurrit in oras;
Quo decet eſſe Dei, ſincero promicat æſtu,
Illimi de fonte cadens, illime fluentum.
Quaq; ſolum patitur, quod ſtringitur, omnia puri
Amnis habet, gratùmq; nitet pellucidus humor.
Sin infecta palus, aut noxia raditur ora;
Protinus illapſo vitiantur cuncta veneno,
Atq; inſincero liueſcunt turbida fluctu.
Quo ſe more vehit cæleſti fonte volutus,
Ocyor & iaculis, & fulminis ocyor alis,
Tigris in Eufratem: vel qui Pancada linquens
Callirhöenq; petit Iordanis cærulus amnis,
Multiplices relegens per pinguia culta recurſus
Integer; & liquida labens placidiſſimus vnda,

Purior electro ſe gurgite voluit vtroque
Dum licet. at poſtquam Aſphaltiten alter olentem
Attigit inuitus; Thesbiten alter amaram;
Non color eſt idem patrius, non humor vtriq;.
Haud ſecus ille lepor, diuinæ lucis imago,
Inditus ingenijs, varios exinde colores
Induit, exuto meliori degener ortu.
Vt quondam varijs ſpecularia picta figuris
Permeat, & vitreos radijs ſol traijcit orbes
Verſicolor; quamuis æterna luce ſerenus
Ille modo niueos effunderet ore nitores.
Hinc iam diſſimiles vultus, moreſq; videbis;
Et varios vno de ſemine ſurgere fœtus.
Ex quo Naturæ contagia protinus ægræ
Vnius a noxa in ſeros repſere nepotes;
Continuò in peius fluere omnia. fanda, neſanda
Colluuione rapi ſcelerum vndiq, mixta nocentum
Tybris vt huic ſe ſe præbens populariter vrbi
Ambitioſus aquas circùm ſua mænia flectit,
Sponte ſua lenis; placidarum pondus aquarum
In maris exonerat Tyrhena per oſtia fauces.
At ſi vicina trahat e conualle rapinas
Sulphureis Nar albus aquis, cæleſtibus auctus
Imbribus, aut Fabaris, montes qui peruius ipſos
Exedit; aut pontes Anio indignatus, & ædes
Albuneæ; latè tumidus torrentibus vndis:
Ilicet illa prior facies lætiſſima fluctus
Vertitur, & fœdè conuoluens omnia vortex
Cum ſtabulis armenta trahit, ſiluaſq; domoſq;.
Spumeus, & veterum quatiens monumenta Quiriti
Oceanum irritat, maiori mole timendus.
Quatinus ingenio ſubſeruit lingua, loquacis
Gnara ſoni: totidem formis vocalis imago
Ingenij variat, variat quot moribus ipſum.

Sic

Digitized by Google

Sic quæ multiplices orbes implexa cietur,
Horarum interpres, fugitiui temporis index
Machina: momentis diſpenſat ſingula certis,
Interualla regens, & libramenta rotarum.
Pondera deſidunt arcano concita motu
Infernè: ſpatijs iuſſis momenta supernè
Sollicitant: numeros figit vel conſcia cuſpis
Exterior, vel ſigna docent turrita metalli.
Carminis hinc variæ leges, & diſcolor vſus.
Scilicet hinc olim luctu querimonia mœſto
Eiulat, & lacerat paſſos Elegëia crines;
Si cui vel veſanus amor, vel ſanus acerbat
Vulnera: ſeu rapitur, ſeu quid rapietur amanti.
Archilochi ſæuum rabies armauit Iambum,
Seq; lycambæo labefecit ſanguine vindex.
Quo pede ſe iactat nunc mœſto rauca Tragœdo:
Comica nunc populi captans Orcheſtra cachinnos.
Maſcula Lesboo laſciuit fœmina verſu.
Dicere longa mora eſt, quot ſe ſe vertit in ora
Fabula: deterior quot leges extudit vſus.
Nam quibus inceſtat præcordia fœda libido,
His Thimele fœdo bacchatur adultera plauſu.
His lyra crinitum reſonat laſciua Bathyllum:
His Elegi tota decantant vrbe Cypaſſim:
His & Rapſodis; his nunquam caſta Parodis
Labitur ingenij lutulentum in carmina flumen.
Inuida cui liuent ægro ſuffecta veneno
Lumina; mordaci vates elutus aceto,
Atterit alterius ſurgentes carmine laudes
Improbus, æterno præbens alimenta dolori.
Gurges, & exhauſto qui Ganeo naufragus ære eſt,
Fœcundi calices facien hunc ſæpe diſertum.
Et dubias cœnas, & pocula Lesbia laudat
Vmbra minor. qualis quem vatem Bilbilis edit;

In-

Ingenium cui venter erat, cui carmina turdi.
At quibus vberior fundit ſe copia mentis,
Sanctior atq; animus, nec primo degener ortu:
Latiùs his ſe ſe præpandit ſemper Olympus:
His niuei mores: his linguæ flumen inundat!
Largiùs Aſcræo, Smirnæo puriùs amne.
Ille tamen meus, ille meus, qui ſiuè profundum
Tentat Agenoreæ carmen teſtudinis: aſtris
Intulit æterno redimitus baccare frontem
Arduus; atq: animo patrium complexus Olympum,
Pleniùs integros libauit numinis hauſtus.
Tantus vt in noſtras deuoluat carmina leges,
Per latios populos indicens Orgia vates:
Quantus it Heſperidum Eridanus regnator aquarũ;
Liquitur incanis niueus cum montibus humor.
Seu Populos vates ad vaſta theatra vocabit,
Aut trahet incedens refluam per pulpita pallam:
Molliet & dulci truculentos voce Tyrannos,
Euripidi certans, regalis doctor honeſti.
Aut multo cum melle ſales miſcebit amaros,
Mopſopijs melius, ludens præcordia circùm.
Siue ſagis mutare togas, & mœnia caſtris
Pro Patria pubem, pro Religione iubebit:
Ille & Mæonio nunquam concedet Homero,
Quamuis ille ſenex opus immortale rotundo
Carmine tornatum Pelidæ æquarit Achylli.
Hæc ait; his dictis thymbræ iucundiùs aura
Spirauere comæ; curruq; inuecta volucri
Soliuagam hortatur Phœnicem voce iugalem,
Ad Cælum molita viam. via longa relucet
Perſulcata rotis: & lauro tempus honeſtum
Extulit, & multo ſtellatum ſidere crinem.
Qua circùm faciles riſus, leneſq; lepores,
Ingenuiq; ſales, & primo flore voluptas
Cer-
Digitized by Google

Certatim aduolitat, ſoboles & dulcis Honorum.
Nubila dum ſenſim tranat, qui maximus æuo
Luſus erat; rapta furtim teſtudine Matris
Arma, virum, flectit. Reddit chorus omnis Honorũ
Arma, virum: riſit diuina Poetica: ridet
Maieſtas longæua comes. Tum Gratia ludens:
At nimis audacter, pueri; vos luditis, inquit,
Maieſtatis opus veſtris malè creditur annis.
Tractent arma viri; pueri puerilia ludant.
Maieſtas maiore tuba canat, *arma, virumque*.
Conticuere omnes: curſuq; ad ſidera tendunt.

VACATIONVM AVTVMNALIVM INDICTIO.

CARMEN IX.

EMeritis quoniam licet Alcedonia caſtris
Immuneſq; agitare dies; hæc meta laborum:
Hactenus & Circi plauſus, & pulueris hauſtum
Collegiſſe ſat eſt. feſſos hinc rite iugales
Qua licet, alipedes in paſcua ſola releget
Et conceſſa quies, & ſpretæ gloria palmæ.
Terminus hic hæret laudum. mihi redditus, æui
Hoc quod erit reliquum, exauthoratamq; ſenectam
Mollibus in ſtudijs, per tuta ſilentia vitæ,
Exequar, & vacuo componam pectore curas,
Arbitrij, iuriſq; mei. Nec Roma Theatris
Audiet, vt dudum, miſcentem mœſta tumultum
Cor-

Corda, Sophoclæum per pulpita ſyrma trahentem.
Sat rixas meditata fori prudentia linguæ
Artifici rerum textu torrentia voluit
Flumina verborum. Poſt hæc conſulta Senatus
Neſciat, & legum nexus: & prouida Patrum
Quid ſuper Imperio rerum Prætexta laboret.
Tum quibus adſenſus populi captetur hiantis
Artibus, aut quanto ſe turbine Rhetor in arcem
Inferat obſeſſæ cauſſæ; cum fulmina torquet
Præpetis ingenij victor, tonitruq; ſonanti
Territat exanimumq; reum, ſtantemq; coronam,
Venaleſq; globos, Vrnamq;, ſacrumq; Tribunal
Iudicis attoniti. Quantus non Annibal olim
Perfidus, aut trifido non ipſe Dieſpiter igni:
Verberat hic Regum ſubducta Palatia cælo;
Ille Saguntino quaſſat Capitolia bello
Improbus, & longè Romanas arietat Arces:
At ſteterat, memini, magnum, deplere ſonantis
Arpini fontem, nec parciùs amne fluentis
Mopſopio, & toto Cicerone tumeſcere venas.
Et ſatis oris erat, nec Sidera læua fuiſſent:
Ni magnis inimica foret Virtutibus ætas;
Et vatum cineri ſemper, gelidoq; ſepulchro
Aequior, & nunquam laudi non ſama ſuperſtes.
Nunc alios luſtrare choros in valle reducta,
Immemor inſtituam famæ, ſecurus honorum
Ciuibus ignarus, vicinæ neſcius Vrbis.
Sicubi muſcoſi fontes, aut deuius humor
Murmurat electri, denſiſq; adſibilat vmbris
Aura recens, auibuſq; ſonant virgulta canoris.
O vbi per tacitas artes ignobilis oti
Tempora diſponam ſeræ taciturna quieti;
Priuatæq; togæ partes, laudeſq; ſecundas
Officij, reliquis tacitus, mihi cognitus vni?
An

An mihi Telegoni ſedes, & rore maligno
Exigui laticis tellus humecta vacabit ?
Læta domus feſſis : & quæ ſi fontibus aruum
Irriguum crebris olim præberet, amico
Hoſpitio Muſas Pindo diuerteret æquo .
Hinc tamen vt credas auerſum fraude liquorem ,
Quam prope ſe Tepulæ rauca de rupe ſuſurrus
Exprimit, & glauca prætextus arundine circùm,
Purior argento gelidis interſtrepit vndis ,
Fœcundo de fonte cadens, tum turpiùs errans,
Quo magis a cunis diuertitur auius humor ,
Et niger ignauo, veteris ſinè laude ſaporis ,
Flumine perreptat, Romanam degener Vrbem ?
Quam prope Regilli fontes, & clade latina
Inuiſi latices , & Stellæ Martius amnis !
Albanique lacus, hetruſco carmine iuſſi
Protinus emitti perfoſſo monte, nec vnum
Scindere iter, ſed diuerſo per rura meatu
Romula , diſperſis extingui tenuiter vndis !
Quid Nemoris memorem pictos ferrugine fluctus ,
V brosamque fugam Euripi, & Symplegadis arctæ
Inſtabilem motu faciem, Soliſque fugacis
Circenſes ſtagno ludos , ſpeculumque Dianæ ?
Montis & obliqui frondoſo ſepta Theatro
Cærula Agrippinæ naualibus apta ferendis ?
Hoc fundata lacu, vaſtis æquanda liburnis ,
Pinea tum ſtabat moles : cum Roma Neronum
Seruitio Regina graui defeſſa gemebat .
Inſula quo ritu medio circumſona ponto
Aegeo in magno tumido prætenditur æſtu :
Hoſpita vel Phœbo Delos , vel inhoſpita Naxos :
Vel minor Ortygia emota , nil mota Mimallis :
Aut Paros , aut Amathus, aut Icaros Vrbibus olim

Crebra tribus, nunc vrbibus Ithioeſſa duabus
Dicta ſiequens eadem, numerumq; nominis æquans.
Nil adeo non longa valet mutare vetuſtas.
Ergo vbi iam medium Titan pulſabat olympum,
Findebatque agros ſitientes ita leonis;
Dum matrem contracta ſuam vix vmbra tegebat:
Huc properè Plebes ſpectatum romula ludos,
Nequicquam Roma reuocante, ſacerque Senatus,
Matronæque domo excitæ, innuptæque puellæ,
Et luxu iam fractus Eques, & Cæſar habenas
Imperij oblitus, vacuis e mœnibus Vrbis
Protinus exibant; & curua Theatra replebant,
Egelido vultum ſpectantis in amne Dianæ.
Lumine multicolor criſpata tumebat Enyo,
Et medio exſpatiata lacu Delphinas agebat:
Inque lacu lentis circùm præfulta catenis,
Inſultans, innabat aquis, æſtumque premebat
Carbaſeos virgata ſinus, argentea funes.
Nilo qualis erat Pinus delapſa ſecundo,
Improba laſciui dum ſe Regina Canopi
Romano placituta Duci, læſura pudorem,
Et Capitolinis inſpirans ſedibus ignes,
Inſtruit, & circùm pharetratos cogit Amores:
Et cultu malè ſana tuo, Cytheræa, ſuperbit.
Nec mora rauciſoni canor increpat æris ab alto
Marmore, Palladioſque vocat tuba martia ludos.
In medio Ratis acta lacu proſcenia vectat,
Semihomines Satyros, Satyrumque imitantia curas,
Mænala, Parrhaſios amnes, Pineta lycæi,
Et Iuga Taygetæ duris bacchata lacænis.
Aut alio cæcas auerſo ſole Mycenas,
Aut Argos bellis aptum, bimaremque Corinthum.
Seu cum Tantaleo Pelopeia cœna furori

In-

Inſtruitur, Pelopique humeri reparantur eburnei.
Siue Thyeſtæo luctu cum ridet Atridum
Ambiguus Pater: aut molli denupta marito
Euerſorem Aſiæ coniux Agamennona mactat.
Interea ripas curuataque littora circùm,
Marmoreiſque eſtulta toris, Parijſque columnis
In morem apſidis, ſpectante ſedilia cœtu
Vndique complentur vario, fremituque ſauentum
Omnia miſcentur latè; denſaſque per vmbras
Multiplicem ſonitum vocis reſponſat imago.
An rude donatum me ſaxo nixa ſupino
Setia pampineis inuitat cincta racemis?
Hic vbi textilibus ſubter liquidiſſimus vmbris
Piſcoſis fœcundus aquis ſubmurmurat Vſens
An nemus Albuneæ reſonans, decimæque Sibyllæ
Alta domus, rapidoque tremens Aniene ſacellum?
Aeſulæ an Accliues, regnataque ſaxa Catillo:
Vdaque mobilibus latè pomaria riuis?
Sedibus his vtinam liceat requieſſe ſupremum,
Et Romæ longè ſtrepitus, fumumque tueri.
Seu mihi Thebanis libeat contendere plectris;
Seu lariſſæum conari rurſus Achillem,
Siue grauem Thymelem grandi pulſare cothurno:
Non alio malim tantorum exorſa laborum
Voluere ſeceſſu felix: hic docta frequentem
Otia: curarum hic deterſus pectora nube
Neſciri, ſi præſtat, amem; qua frigus opacum
Temperat æſtiuis Anio molliſſimus vmbris.
Excuſſo licet ille iugo, ponteſque reuellat,
Abnuat & famulum Tyberi vectigal aquarum.
Viſere Tiburtes lucos, dociliſque ſecundum
Fluminis ingenium, per amœna fruteta volutum;
Si quis & Eſtenſes hortos, Crœſique paratu

Noſcere mæandros potuit ſinè fine ſonoros.
Ille nec Andromedam, nec ſentiet ille leonem,
Nec grauis exuſtis latrat cum Sirius aruis.
Quid primum? quid deinde ſequar? quo fine quieſcã
Singula dum relego laſſo ſpectacula viſu?
Attalicum mirabor opus; ſedeſque ſilenti
Mygdonias luco poſitas? Syluæ ne ſonantis
Et ſenium, & textis vmbracula pendula ramis?
An prius emiſſos per cuncta cubilia fluctus
Exequar: & tacitos ſuadentia murmura ſomnos?
Huc oculis, huc mente trahor, labentia dicam
Flumina per ſedes, per & ambiguos anfractus:
Et labyrinthæiſſe flexibus exſinuantem.
Vt citat, vi ſtrepitu fremit, ambitioſa ſecundis
Acta voluminibus, nuſquam niſi ludicra lympha
En tibi diſparibus decreſcit ahenea centum
Machina arundinibus, doctis diſcreta cicutis
Numinis Arcadiæ & numeros tentare laborat!
Nec manus Artificis (quod mirum) certa citati
Mobilitate modi ſyſtemata nota retentat.
Interualla tubis diſcreta ſonantibus vndæ
Lapſu lympha ſequax irritat: pollice nullo,
Ingenio nullo, præterquam fluminis ictu;
Inſpirare ratas hydraulica iuſſa camœnas!
Nec tibi Palladius volucer miracula præbet
Grata minus: niſi viua, ſimillima noctua viuæ,
Auro fulgentes oculos oſtentat, & albis
Guttatas maculis plumas; vt turba minorum
Aduolitat circùm, ſpeciem mirata, volucrum!
Vt modo lucentes oculos, modo perlita captat
Membra notis quacunque licet! totumque repentè
Certatim clangore nemus, tectumque repleuit!
Illa gradu clauam fixo tenet ardua, ludo

In-

Indulgens morſuſque auium fruſtratur hiantes.
Nunc informe caput circùm, nunc lumina verſans
Attonitæ ſimilis, viſu nunc languida nictans,
Et ſtudio proritat aues: dum viſa timere
Vel contracta breues ſe ſe demittit in artus:
Sæpius aſſurgens vel ſe projectat in auras.
Euganeus quo more ſolet, quem Brixia finxit,
Ludius, in triuijs media de fece ſuburræ:
Et cultu, vultuque procax, geſtuque, ſonoque
Artis ab aucupio diruptos ſplene cachinnos
Incitat, affuſo ridendus ſponte popello.
Hinc degreſſus, aquis Dryadas mirabere nantes;
Ipſaque quo mallet naſci Cytherea profundo;
Quo ſe perſpicuum melius Narciſſus amaret.
Contemplator item, quam cæco fiſtula tractu
Implicat vndoſos flexus: vt peruia tectis
Spiramenta vadis non intellecta supernè
Flumina præcipitant, imbres imitata caducos.
Ille quis eſt autem, curuo Delphine per æſtum
Qui vehitur, numeroſque lyra modulatur eburna;
Securus pelagi atque ſui; niſi fallor, Arion,
Crimen auaritiæ. Nautarum crimine Puppim
Deſeruit Vates: Auri proh cæca cupido!
Pro nunquc ſaturandus amor ſceleratus habendi!!
Nuſque tuta fides. Qui ſquamea monſtra trahebat:
Carmine qui blando curas mollibat acerbas:
Qui mulcere feras; qui ſaxa ſequentia ſyluis
Ducere carminibus poterat, qui vincere fluctus;
In ſua iuratos non flexit funera nautas.
Hoc benè: quod pandus ſubiecto corpore Delphin
Ocyus exceptat labentem e puppe Poetam.
Et ſuperis ea cura fuit, ne ſacra tacerent
Ora viri, pecudes ad carmina docta trahentis.

Digitized by Google

Et dubitamus adhuc animos impendere muſis?
Illis ipſe vadis; glaucos exutus amictus,
Nocte ſub illuni, natali fonte relicto,
Innatat, & lentis Anienus ludit in vndis.
Et nunc in viridi prouoluit pectora muſco:
Stagnantes nunc plaudit aquas: celerique natatu
Traijcit ipſe ſuos per non ſua flumina fluctus.
Hæc domus & Dryadas Peneide ducere ripa
Poſſit, & Aegeriam nemorali euellere luco:
Atque Senem e gelidis auertere Pana lyceis.
Ipſe ſuis etiam tandem digreſſus Athenis
Quæreret Eſtenſes Senior Gargeticus Hortos.
Hoc nemus, hos fontes; hæc ſtagna virentia muſc
Si ſperare nefas quærenti tuta ſenectæ
Otia, meque aliò tellus vocat auia longè:
Te quoque præteream vitreo Digentia riuo,
Per Paphias myrtos Digentia mater inerrans,
Quæ mihi natales luſtraſti flumine cunas.
Vos Fabaris rigidi latices, Vos Roſia Tempe:
Teque per effoſſum Clementis ſumptibus alueum
Plurima quæ dudum te Curia digeris, olim
Curia, nunc tandem mutato nomine Clemens:
Nar vbi decliues exundat ſulphure campos.
Vos nemora Antigiæ, vos ardua templa Vacunæ,
Tarquinio luſtrata meo: quo Vate tenetur
Dardana nunc tellus, mox noſtra Sabina tumebit.
Quo feſſum Traſimene rapis? quo Thetia ſyluis,
Arbuſtoque frequens læto; digeſtaque latè
In verſum ſeries vmbrarum? o blanda relictæ;
O ſpes vna meæ quondam famulata ſaluti:
O nemus, o placidæ ridens telluris ocellus.
Te propter, cultuſque tuos, & mollia mille
Dona, ſub autumno (memini) mihi reddita vitæ
Tem-

Tempora diſſicilis, dilataque funera teſtor.
Non bifera Alcinoi certent Pomaria vobis,
O mihi ſat noti ſaltus: non aurea Pæſti
Rura, nec autumno ſtridentia robora pleno
Diſſita per campos, & rura beata Phalanti.
Cedant Theſſaliæ: Iuturnæ iugera cedant,
Cedat olorino tellus herboſa Cayſtro:
Dulichijs vlulata lupis Circeia cedat,
Anxuris & ſedes, & celſæ Tyburis arces,
Et quæcunque trahunt felici ex vbere nomen.
Vt reor, hinc miſſum niſi Dorica detinet Ancon,
Protinus optatas inuiſam Virginis ædes;
Et memor, & magni voti reus. Illa per auras
Alituum ſublata humeris, tranſuecta per vndas
Tecta, Paleſtina (vt fama eſt) de ſede refixa,
Littora qua lunat ſuperum mare, certa locauit
Hic Deus, & felix opulentat Numine Virgo:
Iam bona Picenti iam Romæ mitis Eleuſis.
Ergo illa ſub ſede Deus delapſus olympo
Induit humanos genitrice ex Virgine vultus?
Ergo humilis ſedes, arcani conſcia fœtus;
Immenſa de mente Pater quod fundit ab æuo,
Aequæuumque ſibi concepit Numine Numen,
Excepit (proh mira fides) atque hoſpita texit?
Ergo eadem hæc ſeræ peperit primordia vitæ?
Virginis & paruæ cunabula læta recenſet?
O domus, o Superum ſedes, o aurea Cæli
Hoſpitia: o Patris non enarrabile Pignus.
Ten ſuperum pennata frequens de more Iuuentus
Immigrat, & paruæ cunas addenſa coronat?
Et Decor, & Virtus, & læto Gratia vultu
Ceruleos ſtellata ſinus, Candorque, Pudorque,
Et matura Deo Pietas, Probitaſque, Fideſque,

Et laudum numeroſus Honor, pulcherrima proles
Virgineo ſimul orta die pulcherrima proles?
Limen ad hoc vitæ componam extrema neceſſe eſt
Fata meæ, affixis armis hic noſtra legantur
Nomina. *Ad has ædes, cæſtus, artemque repono.*
Rhetoris arma vides: nomen ne quære, viator.
Hic ſe compoſuit tacitis inglorius annis.

IN ADVENTVM
FERDINANDI
AVSTRIAE ARCHIDVCIS,
POSTEA CAESARIS II. AD VRBEM,
CARMEN X.

QVæ Cœlo de Te ſteterit ſententia, Princeps,
Evulgare libet, Divis quum rite vocatis
Theutoniæque daret nuper, Romanæque Senatum
Sollicitus ſuper Imperio Regnator Olympi.
Non ego concilio Superum digreſſus, cohibo,
FERDINANDE, tuas laudes. Nec laurea nobis
Vmbravit Dircæa comas, nec murmura Cyrrhæ
Hauſimus, aut Siculos avidi depleuimus amnes.
Nobis muta ſilet: nobis intacta ſiletur,
Vni reſponſura Seni Cortina moventi,
Flexibus obliquis quam circùm Mincius errat
Humanos ſenſus humanis ſenſibus hauſtos
Ex-

Expediam, primam præradens littoris oram.
Interea latebras animi, ſacroſque receſſus
Explorare damus. Vultum prætexere menti
Non eſt, credere, meum; non fronte obnubere ſenſum.
Fallere vel falli, & famæ ſeruire bilinguem,
Indignum Sapiente reor. Nil mente repoſtum
Ambiguus voti condo, fideique ſiniſter:
Mentem palma gerit: nec cordi nuncia cordis
Diſcrepat: in venis quos vis inſtinxit Amoris,
Arcanos ſenſus interpres promit Amoris,
Et liquido ſermone trahit de pectore lingua.
Nunc mihi, Cyrrhæo telum qui fortius æſtro es,
Adſis o tantum, Iuuenis fortiſſime, feſſis
Eximium columen rebus, Spes aurea Romæ;
Terræ cura recens, Cæli iuſtiſſima cura.
Oppoſitum Fabaris rauco qua gurgite montem
Verberat, & torto violens in viſcera fluctu
Exterebrat, ſtrepituque ſinum rimatur aquoſo:
Scena viret, retro multis incædua ſæclis
Frondibus arboreis & montem, & flumen obumbrat.
Intus lympha loquax tophis pendentibus antrum
Excdit, & ſcabro ſcopulum teſtudinat arcu.
Hæc Tyberi ſedes: hoc illi curia tectum:
Si quando, quod ſæpe ſolet, reſponſa ſubacto
Reddere vel Nilo, vel reddere cogitat Iſtro.
Huc adeo poſtquam latias effuſa per Vrbes
Fama, tuas Princeps laudes, nomenque, genuſque
Dididit, aduentuſque tuos; huc protinus omnes
Acciri Genitor populares imperat Amnes.
Protinus acciti, dextra læuaque frequentes,
Cærulei fratres muſcoſa ſedilia complent.
Et niueis Clitumnus aquis ad Dardana quondam
Mœnia candentes ſuetus deducere tauros:

Ante catenatos traheret ſi forte Tyrannos
Cæſar ab Auroræ populis, aut littore rubro;
Et liquidos voluens graue olentis ſulphuris æſtus:
Liuenti Nar albus aqua, per & aſpera præceps
Saxa, per & virides conualles lubricus errans.
Sulphureumque aliter minor ad maiora tributum
Regna vehens, Tybris lapidoſis Albula ripis:
Nataleſque mihi luſtrans Digentia curas,
Purior electro, gelidis vberrimus vndis,
Per paphias myrtos, per amena roſeta volutus:
Vſticæque latex, puruſque Lucretilis humor:
Lymphaque Blanduſiæ vati blandita canoro,
Qui latios fidicem neruos, arcumque tetendit,
Primus Lesboi meditatus pollicis ictum.
Et fluctus acidi, fontiſque rubentis amaror,
Quoſque occulta iugis exſudat fiſtula riuos:
Alliaque Aeneadum faſtis damnata nefaſtis.
Et Fabaris tectorum opifex: & flumen Hymellæ:
Et Fabari famulatus Acor qui lenè ſuſurrans
Educat Idalios, & Acidalios fulgores.
Troianique olim fato veneranda Numici
Stagna Ducis, viridique Almon ſe margine condens,
Populeis amni texens vmbracula ramis.
Nec benè dum Tyberi doctus manare ſecundus,
Aeſulam & accliuem latè, decimæque Sibyllæ
Sedem Anio vaſtans, pontem indignatus, & Vrbem.
Velinique lacus: & noti clade latina
Regilli latices: piſcoſa & Fucinus vnda:
Et centum ſinè laude alij, ſinè nomine fontes.
Qui poſtquam Regis lunato pumice curuam
Intrauere domum; redimitus arundine crines
Dardanius Tyberis, glauco velatus amictu,
Ter, quater humentes colluſtrans lumine ciues;
Edi-

Edidit hæc Senior. (Vidi, vidi ipſe docentem,
Et Senis admoui bibulas ſermonibus aures:
Cum facili curuata Patri circumſtetit vnda,
Marmoris in faciem, liquidæ teſtudinis inſtar):
Incipit. Heſperij Ciues, quibus auctus aquarum
Imperium latè tenui, ſæuaſque ſecures,
Qua Titan promit, qua condit lucidus axem.
Scitis, vt Auſtriadum Soboles pulcherrima Regum
Ferdinandus adeſt; Romæ nunc nobilis hoſpes,
Mox etiam (o votis adſpirent ſidera) Cæſar,
Optatuſque diu Iuuenis, multumque vocatus.
Fas eſt officijs non cedere, plura daturus,
Multa dedit nobis. Decuit certaſſe priores.
Sed dedit hanc illi laudem maturius annis
Ingenium, magniſque aſſueta domeſtica virtus.
En hic ille, diu Latij qui iura ſenatus:
Et tegit extremis pugnax Capitolia terris,
Odryſium auertens romanis Arcibus Hoſtem.
Quid memorem patrios ritus? quid Regna quietæ
Heſperiæ? defenſa ducis quid templa cruore?
Aut quantus latos humeros, & regia tollit
Ora ferox, telumque manu immedicabile torquet?
Aut cum Sithonias metit obuius enſe phalangas?
Aut cum Threicias tormentis arietat Vrbes?
Aut cum pollutas Diuorum vindicat Aras?
Ille Duces inter medius, quos aſpera bello
Croatia, atque armis horrens Carinthia nutrit
Altiùs ingreditur læto ſpectabilis ore:
Indolis Auguſtæ ſpecimen, lumenque ſeuerum,
Clementeſque minas, & magnum Cæſaris inſtar
Ex oculis, ex fronte vomens, ex corpore toto.
Qualis gemma micat flauo quam circulus auro
Ambiat, aut aptum collo geſtamen honeſto,

Digitized by Google

Aut digito; vel quale roſis decus halat odoris,
Lilia ſi virgo medijs intexuit alba:
Aut ebeno incluſum nigranti quale per artem
Candet ebur, talis Ductores inter honeſtum
Attolitque caput Iuuenis, ſeque arduus inſert.
Illum & torquentem telum, & mirantur euntem
Auſonij, exoptantque ſuum: & mirantur Iberi
Artem oſtentantem pariter, vulnuſque ferentem:
Ipſi adeo Superi ducis ad ſpectacula prima
Progreſſi roſea vultum de nube tuentur,
Sufficiuntque animos bellanti, & robur in hoſtem.
Quid moror. Hunc nobis deberi Martia Regem
Roma canit, quem Roma petit: ſed ſidera donant.
Vidi ſidereo nuper cum nubila curru
Finderet, & cæli ſtellatas ſcanderet Arces
Roma Parens, illam iuxta Germania diues,
Aſſiduis vultum lacrymis humecta rubentem,
Ibat, & accenſis votis pulſabat olympum.
Circùm ambas famulæ patrijs e finibus Vrbes,
Tot numero famulæ, ſolis quot vtrumque cubile
Circuit, & gemino mundus complectitur axe.
Vt limen tetigere poli; patuere repentè
Aſtriferi poſtes, acceptæ ſedibus orbis
Aetherei, ſuperaque diu regione moratæ,
Pro ſtabili rerum ſumma dixiſſe feruntur
Ante Patrem; & certam Terris oraſſe ſalutem.
Auditaſque preces, & lætæ pignora pacis
Reddita, vibrati ſubitò mouere nitores.
Sic reor. Ipſe ambas Cælo Superumque Senatu
Dimiſſas quiddam inter ſe muſſare videbam,
Atque ſerenatæ vix claudere gaudia mentis.
Auſtriadum Virtus, & Terris dedita fama
Gentis, & Auſtriadum Imperium, cui militat Orbis,

A Et

Et Pudor; & Pietas, Ferdinandique Iuuenta,
Et prudens animus rerum, tum viuida bello
Dextera, iucundumque metum Clementia miſcens;
Sermo erat ambarum. Voces, vultumque notaui,
Et præter ſolitum faciles in gaudia riſus:
Et Matrum vnanimes motus, impenſiùs vni
Gratantes, Iuueniſque animo, ſtudioque fauentes
Et quæ ſit Superum ſententia, quæque premantur
Conſilia: vt Iuuenem poſcant, qui bella retractet
Effera, qui ferro crimen commune refellat;
Ogygiaſque faces, & Threſſæ cornua lunæ
Obruat, & rerum faciles moderetur habenas;
Et grauidum Imperijs, componat legibus Orbem:
Vt reor, & Tyberi, & Rheno cunctare videtis.
Nunc adeo inſtandum eſt votis: Terræq; Polique
Parendum ſtudijs, celeres exite ſonoro
Ad ſua quiſque vado cunabula: fundite totas
(Sic opus eſt) vires: lætas prælambite ripas
Irrorate noua latios aſpergine campos.
Permeet interior per venas viuidus humor:
Exprimat ignotos ignoto e germine fœtus.
Quicquid Orontæo Cilices e littore carpunt:
Quicquid Achæmenijs ſpirant oppobalſama virgis:
Quicquid odoratis nutrit Panchaia ſyluis;
Hic veſtris pubeſcat aquis. Accedat Amoris
Huc operoſa manus. Minus eſt quod ridet Honori
Et Iuuenis meritis, & votis credite veſtris.
Dixerat. Ad iuſſas refluunt vaga flumina ripas.

PE-

PERETTINA.

HOC EST AQVAE FELICIS NYMPHA.

AD ALEXANDRVM PERETTVM CARDINALEM MONTALTVM.

IN COLLEGIO ROMANO EXCEPTVM.

CARMEN XI.

HOſpes adeſt? an ludit amor? non ludit: Alexi
Hoſpes adeſt, læto vernat cui flore Iuuentus,
Mens autumnat opum felix; & frontis honorem,
Et decus afflarunt notum, quæ plurima circùm
Ora rubent veros teſtantia gaudia ſenſus:
Exere; quem votis optabas, aſtra dederunt:
Ipſe quoq; Sol cælum ſignis melioribus aptat.
Exere te medio de gurgite, Perettina.
Sit mihi ius oculos in dulcem abſumere curam.
Ilicet ex oculis colocaſia pellite frondes.
Non eſt cur vobis malint, quàm murice paſci
Fas mihi, fas Domini lætos haurire colores,
Quæque Tyron dites epotauere lacernæ,
Et facili riſus a maieſtate ſerenos.
Fulſiſti niueis tandem lux acta quadrigis;
Fulſiſti, nunquam melior mihi Purpura viſus
Impulit, aut melior venis illapſa voluptas.
Et quamquam faciles Romani ſæpe Senatus
Semideos, Mundi tantiſper mole relicta,
Sum mirata meis ſuccedere ſedibus, vltro
Occului tamen ingenuum ſub gurgite vultum,
Faſſa verecundum Virgo taciturna pudorem.
Interea tamen vberibus pendentia guttis

Sa-

Saxa videbantur ſenſus aſpergine fictam
Prodere lætitiam. Gentilia ſidera teſtor.
Non alio potui, quam te veniente, receſſus
Linquere ceruleos, & nubem demere fronti
Virgineam, nunquam maior fuit impetus, imis
Tota refuſa vadis cum garrula flumina mallem
Irritare, domumque humentem vertere fundo.
Quattuor a ventis certatim ſurgite fluctus,
Surgite: lunatos tophos iaculata laceſſat
Lympha loquax, agedum noſtros humentia riſus
Saxa fleant, dulces riſus, qui flere iubetis,
Et fluere vndoſis hilares e fletibus vndas.
At tu, Clementi qui maieſtate leporum
Gaudia tranquillas: qui tæda pectus vtraque
Concutis, vt Patrem pariter, dominumq; vocemus
Quem colat, an metuat (certè mirabitur) ætas
Ambigit. O ſalue Romæ ſpes aurea, salue
O iterum mundi decus, & tutela labantis,
Illa ego ſum, rauco quæ murmure mœnia longo
Inuehor anfractu (caput altis collibus exit)
Dardanias inter non vltima Nympha Sorores
Sixteis irriguis Vrbem ſublapſa meandris;
Multifidos infuſa tubos, ad nomina mille,
Mille vijs, vſus Felix ad mille ſequuta.
Perettina ſacris hic ancillata Lycæis,
Fuſile munus ago, quo Iulia maxima ritu,
Martia quo ritu gelidis argentea lymphis
Dicitur Aeneadum perreptauiſſe per Vrbem
Flexibus obliquis, & flumine læta ſonoro;
Et Tepula, & Tepulæ non conceſſura, ſuſurros
Nunc imitata leues, tacitos nunc Alſia lapſus,
Appiaque; & lento ſerpens curuamine Crabra,
Et Virgo melior ſuccos miſcere meracos;

Di-

Digitized by Google

Didere quam thermas vndam ſinè lege per omnes;
Curtiaque, & Romæ quæ te Catilina minantem,
Finibus eiectum patris Aurelia vidit;
Claudiaque alba fluens, & glauco cærula fluctu.
Hic vbi felices animos clementia cæli
Educat, & facili ſapiens opulentia riuo
Inſinuat; Felix exundo: iuſſa fluentis
Lambere mobilibus læto viridaria cultu,
Eſt mea progenies herbarum viua voluptas:
Sunt mea, rubentem quæ glebam nata colorant
Lumina, quotque animis nutrit Sapientia flores:
Tot mihi tellurem diſcriminat acta ſecundis
Vnda voluminibus, quicquid Sapientia luſit:
Luſit & vnda mihi: Virtus ſperare iubebit?
Munere adulta meo viridi ſpes viuet in herba.
Numine deiecit gauiſa modeſtia frontem?
Vertice deuexo, poto violaria fonte,
Demiſere caput; vultus rubuere pudore?
Erubuere roſæ, pectus niue candet honeſta?
Illæſas victura niues mihi lilia candent.
Temperies ſuccincta ſinus ferrugine riſit
Cærulea? fulgens Hyali ſaturata veneno
Gramina, cæruleoque hyacintho gleba renidet.
Cura ſqualet amor? ſqualenti caltha colore
Palluit: igneſcunt imo ſuſ iria ſenſu?
Ebrius igneſcit viridi narciſſus in herba.
Explicuit frontem paupertas rebus in arctis?
Funditur hic olerum ſimplex, & inempta voluptas.
Exprimit ex animis lacrymas, cauſamque doloris
Cura memor? noſtro veniunt quæ munere, triſti
Corpora amaritia tergunt abſynthia labe.
Eloquium docto felix exuberat ore?
Luxuriant folijs colocaſia lata repandis.

Digitized by Google

Repit humi modicus voti; quem ſidera poſcunt?
Vix attollit humo ſe mollis amaracus vda.
Obſequio mentes veniunt ad iuſſa ſequaci?
Irriguo ſequitur deflexum vimen acantho.
Virtutum fœtus alit indulgentia Cæli?
Relligio fœtus Virtutum protegit vmbra?
Viribus & noſtris equitat ſubnixa ſupinis
Vitis arundinibus, texitque vmbracula palmes,
Lætitiæque ciet motus, & temperat aſtra.
Nam patulo quæ ſe diffuſa cacumine trunco
Erigit exili, cælumque exceptat aperto
Vertice palma ſuum: laudum, decorumq; triumphos,
Victriceſque animas, cælique per aſtra vagantes,
Et modulo contenta ſuo præcordia narrat.
At quæ funereo mœret conumque cupreſſus
Culmine caſtigat; ſobolis quam ſtirpe reciſam
Nullus amor tangit: fugientis tædia vitæ,
Soliuagumque docet vitæ melioris amorem.
Denique quos mores virtus, quos fingit in vſus
Ingenia: & noſtris imitantur olentibus herbis
Gramina, fontanis ſemper gaudentia riuis.
Hic mentæ virides, hic lenta ſiſymbria ſurgunt:
Hic metitur plenis ardens erucula palmis,
Et tymbræ ſuaues, & odoriferæ panaceæ,
Fœniculumque, apiumque, & ſalſi gramina crithmi;
Atque meliphilla, & ſucco colocynthis amaro,
Et vernans ad aquas, & aquas metuens adiantum.
Pamphiliuſque thymus, tymbra qui durior exit:
Et Sia propter aquas vitæ potura virorem:
Capreoliſque hirtis imitata filicula cirros:
Sonchique, aſplenumque, lupique volubile germen:
Pictaque phyllitis ſuſpendere gnara corymbos:
Coryciumque crocum: gratumq; halans calaminta:

Et

Digitized by Google

Et coma ſuaue rubens dictami; Idæque Papauer:
Gramine, ſi lateri ſedit lethalis arundo,
Ignaro latrone, feræ haud incognita capræ.
Hæc mihi Terrarum coaleſcunt ſidera: nec me
(Si licuit rigua pomaria fingere lingua)
Non facilem ſemper, non laudauere fidelem.
Ergo, cum ſitiens cælo, morientibus herbis,
Supplicat, & tellus alibi diducta fatiſcit:
Cum venæ fugiunt omnes introrſus aquarum:
Albula cum ripas gracili præterluit vnda:
Vix ego contineo ſupremos margine fluctus:
Quin per & areolas omnes diffuſa perrerem:
Lubrica perque tubos admunia iuſſa recurram.
Et cum bruma niues incernit, cumque boræo
Frigore concretos ſuſpendit Stiria fontes:
Gramina nec ſe ſe credunt immitibus euris:
Iam tum fœta meis tellus humoribus, audax
Exprimit idalios, & acidalios fulgores:
Et Zephyrum increpitat ſerum, ſoleſque morantes.
At ſi largifluæ non parcit Aquarius vrnæ
Prodigus, & Cælum pluuiæ ſoluere pruinæ.
Ad ſcatebras frænantur aquæ, laticeſque premuntur;
Semina ne cæli pluuijs eluta profuſis
Degenerent, ſtirpis veteres oblita ſapores.
Hic æſtate nouos hic dædala lympha nitores
Elicit. arctois cum torpet terra pruinis;
Sixteis hic totidem diſtinguit gramina gemmis;
Quot Perettinam Dominus diſcreuit Alexis
Floribus. Inde ſuos animos, & carmina vatum,
Et quacunque licet, te Perettina ſequuta,
Hic imitatur aquis. Tibi quod blanditur, Alexi.
Nam veluti motus varij ſplendore cientur,
Hoſpes Alexi tuo quo lumina cumque benignus
Fle-

Flexeris, huc Mentes Cyrrhæ rapiuntur ab œſtro
Tactæ luce tua: poſtquam te corde biberunt
Attonito, varijs commotæ ſenſibus ardent.
Vt iam multicolor pubeſcat gratia florum:
Iridis & referant gemmantia culta colores.
At tibi, quam nobis gleba felicius, omni
Vatum luce nitent afflatæ Numine mentes.
Protinus hinc abeas in proxima limina tecti;
Hic varius, dices, hic vnus fulget Alexis.
Qualis, vt expoſuit partum naſcentis Eoi
Sideris, & mundum patefecit lumine, Titan
Influit in venas, & motu pectora miſcet;
Eſt ſua iam rebus facies, & ſubdita vultus
Agnoſcit Natura ſuos. tum quicquid in auro,
Quicquid in argento ſubriſit; roſida tellus
Explicat; & chlamydem gemmis ſtellata, renidet,
Oſtentatque ſinus primo iactantior Aſtro.
Vultus non vnus vultu ſic ducitur vno.
Haud aliter Zephyrus, thalamos vbi Chloridos emit
Floribus Heſperijs, atque omni dote colorum:
Largius infuſis permulſit odoribus ædes:
Lætiùs enatis arriſit honoribus Hortus.
Qualis, vbi Delon maternam Cynthius olim,
Aeterni iubaris detonſo crine reuiſit,
Aeterna clarum præcinctus Daphnide tempus;
Vt perhibent. pictos aſtringit ſura cothurnos:
Ex humeris pendent, Pythonia tela, ſagittæ.
Quem picti Dryopes circùm, pictique Agathyrſi
Inducunt agiles prima ſub luce choreas;
Inſtaurant ſub nocte choros; Tum longa, per aras
Feſta dies omnes, Iæneum libat honorem:
Et te, Phœbe, vocat, te templa per omnia narrat.
Nec regnata minus gaudent Bactra vltima Cyro,
Me-

Mediaque, Arſinoëque, & ſyluis Suſa beatis:
Cum poſitis armis per mœnia feſta vagatur,
Et Cyri pugnata canit certamine pubes.
Aut quo priſca Rhodos ritu gratata triumphos
Diceris; extremo rediens cum Magnus ab ortu
Dardanus, Auroræ populos, & Regna trahebat
Vltima, nigrantemque, catenatamque Sienem.
Atque Academiæ ſpatia, vmbriferique lycæi
Atria luſtrabat, ſubmiſſis faſcibus; & te,
Te Poſſidoni Ductor trabeatus adibat.
Mentibus infuſum Pompeium lingua ſonabat:
Pompeium (mendax niſi ſemper Græcia fallit)
Excepit Rhodos, atque exornauere Poetæ.
Sic tua lux, Princeps, irritat pectora Vatum:
Sol tuus ingenijs præſens, vbi ſubdidit ignem:
I felix, quocunque vocat te ſemita Princeps:
Sol tuus hos peperit, quos pandit pagina, flores.
Non idem color eſt linguæ; calor omnibus idem:
Mentibus vnus amor; mens vatibus omnibus vna:
Diuerſæ ſonuere notæ: tu diceris vnus:
Sic, vbi mobilibus digitis decurſa tuborum
Multifora reſonat ſerie concordia diſcors;
Diſpare cui canna decreſcit aheneus ordo
Vſque minor: cui follis hiat, cui pulſa ſonoris
Aura foraminibus, varijs adlabitur aures
Vocibus: at vocum variarum aſt vna voluptas:
Vna manus calamos æris percurrit hiantis,
Vnum emiſſa ciet concors diſcordia motum.
Te, quem Roma colit, quem maximus audijt Orbis,
Aequora qua ſumma prætexunt margine terras:
Hic minor ex omni longè regione coactis
Teſtibus ora canit. Te primi carmine dicunt.
Auſonij, Heroum Genitrix quos Terra creauit;
Adria

Adria quà ſupra, quà Tyrrhenum alluit infra.
Et quibus ater aquis interſecat arua Galeſus;
Et quibus Alphei ſugiens Arethuſa calores
Hac fluit, hac latitat ſubter labentibus vndis.
Marſique, Samniteſque, Paruoque Sabini
Aſſueti, Romana quibus victoria creuit;
Matris ad arbitrium fuſtes portare reciſos,
Atque mares animos hoſti obiectare paratis.
Picenteſque acres, ſoboles (ea fama) Sabella.
Lydique, atque Vmbri, terraque Liguſtide creti.
Euganeæque animæ reſonantis ab vſque Timaui
Fontibus excitæ. Auſonia & quos Alpibus olim
Submouet obiectis, Italis Deus admouet idem:
Quique Ararim, ligerimq; bibunt, Rhenūq; bicornē,
Atq; Iſtrum, atq; Iſtri latrantem murmure Peucen.
Vos quoque, qui canerent illuſtria Principis acta,
Haud genus indecores Danai miſiſtis Alumnos.
Miſit & Oeniochus pugnax, & miſit Oreſtes
Illyris: & Pæon, lætalis fama ſagittæ
Quem mouet: & Bacchis vlulata furentibus ora
Sithonis: & tabo tellus infecta Lycurgi.
Tu quoque, Mopſopio tetigit cui labra lepore
Attica, veniſti Cretæa ciuis ab Ida,
Ida, quæ vani Iouis incunabula iactat:
Et Chios, haud prælis olim ceſſura Lenis,
Diuitis eloquij vatem tibi finxit, Alexi,
Qui nomen, laudeſque tuas ad ſidera ferret.
Scilicet: & tempus veniet, cum pectoris ijdem
Inſtincti propiore Deo, & cæleſtibus auſis;
Quicquid Amor de te tacita meditatur in vmbra,
Orbe pererrato, cælo ſub teſte laborent.
Tunc tua per varias transfundent nomina gentes,
Per gentes totidem memores, quot vtrumque cubile

So-

Solis, Hyperboreumque latus concludit, & Auſter.
Hæc ego vaticinor: nec fallunt ſomnia Vatem:
Nec pictæ mentita fidem tectoria frontis.
Exploranda damus præcordia. Tempora nouit
Commoda compoſiti mendax pellacia vultus.
Si quid in arcana non enarrabile vena
Inſidet ad tempus: procul omni teſte remoto,
Poſtquam verba dedit, ſinuoſi ſenſa reſignant
Pectoris arcani riſus, ſolique receſſus.
Hic meliora tegunt animi, quàm lingua fatetur.
Teſtis ego, teſtis; quantum ſub corde Iuuentus
Fixerit illa tuas laudes, & nomen, Alexi.
Teſtis ego quoties laxauit ſeria frontis!
Et quoties curas dulci ſermone fefellit,
Te mirata, tibi circùm mea flumina plaudens!
Illa loquebatur: bibulas admouimus aures.
Ipſaque, Cidippeque ſimul, Drymoque Sorores,
Xantoque, Beroëque, Thaliaque, Cimodoceque,
Atq; Opis, atque Ephyre, Spioque, & flaua Lycoris,
Fluminis & poſito iam murmure Phyllodocea.
I Pater, & laudes vultu præcurre ſereno.
Quod meritis carmen reſpondet, carmen Honoris
Illud habe; meritis quod non reſpondet, Amoris.

BER-

BERNARDINVS STEPHONIVS ANT: FRANCISCO GVELFVCCIO

CARMEN XII.

MAxima, Guelfut', curarum cura mearum,
Quem niuei mores, & lactea flumina linguæ,
Purius Arpini, nec parcius amne fluentis
Nunc latio, latium famæ, mox fama ſacrabit
Mnemoſinæ, ſeris memor illa nepotibus olim.
Hoc agis? an cum te nuſquam quæſiueris extra,
Te tibi commendas? & cum ſpe diuite terras,
Pollicitus meliora, fugis non degener exſul?
An frueris propiore Deo: victorque ſerenæ
Deprimis aſtra plagæ, nebulas elapſus, & ignes?
Lætus an humentis molem Telluris inertem,
Et populos latè, & caſuras deſpicis vrbes?
Regnaque terrarum, tanto molimine parta;
Tam ſudata diu, minimo labentia motu?
Macte Vir ingenio: Sapis. Aude: ſtrenuus vrge
Propoſitum, noto volitas non Hoſpes olympo.
Quæ fugat imbelles, formidatoque repellit
Vertice degeneres, pronum tibi maſcula Virtus
Sternit iter: ſuccede: iugum clementer iniquum
Se tibi demittens, ſenſim decreſcet eunti.
Nec tu pectus eras ſinè Numine liber abito,
Quà via, quà virtus, quà ſe tibi prodiga pandunt
Sidera. Vadentem ſtimulis Amor increpat vltro.
Heu mihi non tantùm licitum contendere. Tecum
Non tuus ille comes, non iunctus amiculus ibit.

De-

Deſeris hunc ſegni, velox Franciſce, veterno;
Viribus effœtis, conclamatiſque iacentem:
Promiſſi memorem tamen, & nullius egentem.
Nam, niſi tabentes poſſum detergere venas:
Oſſibus implicitum ſi non elidere morbum,
Spinoſas animi ſi non euellere curas:
Non ſumus indecores: non morbo turpior ipſo;
Rebus ab externis quærit medicina ſalutem.
Nam nihil attoniti moror hæc miracula Vulgi;
Et vereor demens nihil horum. O ſi crepet auri
Vrnula defoſſi, minimo factura beatum!
Angulus ille meis vtinam ſubiunctus, & ille
Finibus accedat, qui limite quadret vtrinque,
Quem mihi nunc lætum miſerè deformat agellum!
Non ſapio; nec deſipio, poppiſmata nec me
Blanda Voluptatis mulcent, meliora probantem.
Si tamen oblitum tantiſper, pulcra minantem:
Si tamen attinuit meditantem ſumma voluptas:
Peccamus, venia facili quæ digna putares.
Forſitan hæc etiam decerpens omnia tempus
Paullatim minuet, vel forſitan auferet olim.
Interea nihil admiror: metuo nihil. Illum
Excipe, qui veros abigit de corde timores:
Cui recino toties iurati pectoris ignes.
Hæc autem, que Vulgus amat, ſic profore menti
Credimus; vt capitis lenit diadema dolores:
Annulus vt chiragram, talaria picta podagram:
Vt phrygiæ veſtes populantem viſcera febrem.
Vilia dum vili Stertinus ſcruta popello,
Attritas vſu togulas, clauoſque refixos,
Exeſas & equum ſoleas rubigine, pauper
Vendit, vt exiguo toleret numeroſa lucello
Agmina natorum, poſtremo cui pater Iro

De-

Deterior, Creſo Patruus locupletior eſſet:
Pauperiem, extremum vt liceat vitare malorum,
Vota facit: rerum Pater annuit: inuida Patrem
Mors rapit; & Patruum: Stertinus vtriq; ſuperſtes.
Ne morer; in vacuum venit: exoptata reſignat
Teſtamenta: ſeni vix mœſta fronte parentat.
In ſubitas incumbit opes: modo pauper, abundat,
Mygdoniiqque crepat mera Regna. Satellite ſeptus
Theutonico; gemmas, ſcutulatæ tegmina veſtis
Explicat: abradit curas operoſa Voluptas.
Vnctiùs vt cœnet, ſaltus agitantur & vndæ:
Nec parto contentus, auet protendere fines.
Nauigat, ædificat, mercatur, paſtinat, vlmos
Ordinat, intentus quæſitis: occupat æra:
Vſuris caput excedit, ſudatque deunces.
Congerit, augetur, fortunæ filius audit.
Aſt vbi ſol oleam, grando vineta momordit:
Spem mentita ſeges vanis eluſit ariſtis:
Marcuit armentum, morbo periere capellæ:
Exhauſit cenſum nati damnoſa libido:
Obruit & probris viuacem filia patrem:
Offenſus damnis: Vitæ me redde priori,
Summe Parens, inquit: Vendenti ſeruta beatè,
Suauiter vſque fuit: peccaui. quid miſer egi?
Quid volui? nidum pennas extendimus vltra.
Plectimur & merito vita potiore relicta.
Attamen ad modulum reuocantem cuncta priorem
Nunc precor inuiſa cum paupertate repone.
Recula, & illa prior redeat fortuna: relinquo
Hæc, Pater abiuro, quæ cælo turba locamus:
Hæc lemniſcatæ precioſa cubilia curæ.
Scilicet hæc ſemper tenues peccamus, & ampli:
Vt falſum cupidè ſectemur imagine veri:

F Con-

Conſilij tunc pæniteat, cum tergore vibex
Intumuit nigro: cum ſtillat rupta cicatrix.
Si benè te noui, præſtas, Franciſce, quod audis;
Et quod iam decimus Quinctilis, & alma repoſcit
Laurea, & Ignati virtus, & norma, fideſque.
Peſſum quippe tibi terras iuiſſe putamus
Molito ſublimè fugam, Duce & Auſpice Chriſto.
Hinc tibi ſidereos mores, hinc pectora fingis
Aurea, dum fluxæ potas obliuia vitæ.
Vt Patris ad laudes deriues flumina fandi,
Securus laudum, tumidi ſecurus Honoris.
Interea deſponſa Deo ſpondere memento
Pectora, cæleſtes ſenſus, & corda cienti.
Ille tuo penitus permixtus pectore regnat:
Ille faces animis addit, ſubigitque volentem.
Hoc Duce non impune tibi ſeſe offeret, Aethræ
Quicquid in exitium fraudum molitur Auernus.
Suggeret hic ignes, hic acres ſuggeret iras;
Firmus vt inſurgas in prælia dura: Tyrannum
Corpus & vt centum nodis, centumque catenis
Conſtrictos animos reſeras, quo tenditur, aſtris.
Pectora redde modò cælo debentia reddi.
Verba fidem minuunt: promiſſis Numen amicat
Fruſtra, cuius adhuc ignorat Numen amores:
Et cui non vnquam Veri diluxit imago.
Exiguo, fateor, viues, gauiſus Honeſto.
Non tibi Tænariis ſurgent ſuffulta columnis
Atria, non pario ſpirabunt marmore vultus.
Non peregrinus Heri latus aſſecla cinget vtrumque
Non matutinis vndare clientibus ædes
Conſpicies; Bacchi non duces pocula gemma,
Pocula non poſitis lucebunt aurea menſis:
Non nemus incluſum vocalibus obſtrepet auſtris:
Aut

Aut deducta lacu contendet rumpere plumbum
Vnda, canis rabiem, & fremitum domitura leonis.
Aut tibi languenti trepido pomaria riuo
Læta, laborabunt inuitam æſtate quietem.
Sed tibi conueniet cum paupertate: ſed idem
Tu tibi conſtabis: ſed non ſuſpiria ſomnum,
Non tibi cum ſomno diuellent viſcera curæ.
Aera vocant ſerum: pellunt turrita ſoporem
Aera breuem? pares. Partes agis vſque ſecundas
Vmbra minor? tandem properas ad iuſſa miniſter.
Sed nocitura tibi præciſa licentia vitæ:
Sed tumidos placas violenti pectoris æſtus:
Sed mediaſtinus terræ imperitabis, & aſtris:
Denique rex eris ipſe tui. Vulpecula quondam
Riſit ouem; dulci quod libertate careret,
Quæ cuſtoditæ dum laudat retia caulæ,
Curreret a ſtabulis ad pabula iuſſa, gregatim
Vnius arbitrio plagis incluſa cubaret.
Interea vitam multo traduceret emptam.
Paſtori pareret: paſtori vellera ferret:
Paſtori liquido diſtenderet vbera lacte,
Cum ſucco preſſanda mero; cum ſanguine viuo;
Quin igitur ſeruile iugum, dominumque ſuperbum
Diſcuteret? Syluis mutaret libera caulas?
Nil agis, obganni ſolitum tibi (rettulit illa).
Non quia maiori verris veſtigia cauda,
Plus ſalis eſt etiam capiti: mihi vellera præſtat
Tonderi; quàm carne lupos pauiſſe rapaces.
Præſtat & ad nutum vnius vixiſſe prementis
Vbera; quàm prædam tigribus proſtare cruentam.
Omnibus: & vento frondes pauitare crepantes.
At tibi, quæ rides ſecuræ retia caulæ;
Tenduntur caſſes, tenduntur retia mille:

Mille locis, acres formidas ſola moloſſos:
Inſidiatori quæſtum facis; oua, nuceſque,
Caſeoloſque omnis ſoluit vicinia captæ:
In triuijs, ſecta tergis dein mœnia cauda:
Libera quæ cortes verris, quæ luſtra pererres.
I, fuge dimidio noſtri latura ſalutem
Pagina. Si gaudet, primum gaudere memento.
Illud & attentas inſtilles deinde per aures:
Vt quoniam terras deſpectat ab Axe paluſtres;
Sidera reſpiciat ſpectantem nota ſodalem,
Longiùs abiunctum: ſed pectore multa mouentem.
Quæ cupidis ſi nota forent, & nota placerent.
Sanguine non enſis flueret, non menſa veneno:
Claſſica non mentes; non membra volatile ferrum,
Non Boreas puppes, quateret non machina muros

BERNARDINVS STEPHONIVS
BARPTOLOMAEO ROSTRIO

CARMEN XIII.

SEgnior ipſe licet do more Stephonius opto,
Romuleos inter Socios lectiſſime Roſtri,
Deſidiæ tribuas ne longa ſilentia, paucis
Accipe nunc tandem, fuerit quæ cauſa ſilendi.
Egreſſum Maij poſtrema luce Quirini
Mœnibus, excepit ſexto poſt ſole madentem
Imbribus aſſiduis Aurunci Regia Pici,
Regia nunc, olim quæ ſparſa mapalia tantum
Cingeret accliui prætexta Maceria luco.
Hic me, fida licet ſociorum cura foueret,

Suc-

Succuſſumque rotis rhedæ ſtridentis, & ægro
Corpore iactatum ſomnique, cibique carentem
Vtilitate diu, bis quino ſidere tandem
Iunius haud multum, ſi quæris vera, refecit.
Sed multum fuerit; multo non longius vti
Compoſitis licuit curis; vt grata ſodali
Verba ſalutanti quæ vellem, reddere poſſem?
Non licuit; linguæ ſulmen Copponius ecce.
Improuiſus adeſt, rhetor mihi factus ad vnguem.
Ancona noſtri cupidus digreſſus ab vrbe
Me ducturus eo, quà dorica cærula longè
Temperat Adriaci Syrenum quarta profundi,
Fluctibus & blaucis blandita remurmurat Ancon
Abduxit iam quid facerem? quam ſiſtere acre
Eloquium contra nulli ſuperabile? Rhætor
Flectere quem voluit flexit: ſed Rhetora flexit
Ducere quo voluit duxit me, rhetora duxit,
Quo me nota fides ſociorum & certa vocabant
Vota Malaſpinæ ſtudio mihi cognita & vſu.
Illius & geſtu Criſpus meus actus & ore
Si neſcis, latium traxit per pulpita Syrma
Tunc cum Roma mihi plauſam dedit humida fletu.
Hic tibi, quid memorē, quibus & Rectoris amici
Officijs deinitum placidiſſima Syren
Et quibus illecebris veterem tractarit amicum?
Vel dum Grauidenum ſtudijs mellita parentum
Docti loquo bibulas aures ſermone moretur.
Vel dum cæruleo circùm ſua rura phaſelo
Perpetuis lunata iugis me vectat, & Attæ
Proxima piſcoſæ præradit littora tonſis
Hæc inter me lenta diu dum diſtinet Ancon
Iunius emeritos diſſoluit ab axe iugales
Feſſus equos cedens Quinctili lampada tradit

Digitized by Google

Subpuduit vacui, tantum quod temporis extra
Propoſitum ludum, ſenſim mihi fluxit. vt ergo
Iacturam ſarcire queam, diuellor amici
Hoſpitis illecebris inuiti inuitus, & ægrè
Neſcio quid præter ſolitum, ſuccique, colorisque
Illius ex vſu nactus feliciter oræ.

Digredoir primo quinctili menſe; reuiſo
Mœnia coctilibus quæ ſtructa Maceria circùm
Aggeribus ſepit cliuo porrecta ſupino.
Ex reditu (quæ prima fuit mihi cura) per auras
Alituum ſublata manu faſtigia magnæ
Virginis & noſtræ veneror cunabula vitæ
Hic vbi virgineo de viſcere corporis artus
Induit humani non enarrabile Verbum.
Quod ſolemne mihi, dia facturus ad aram
Fruge Deo, memor in partem te ritè vocari;
Teque, Sinibaldumque meum, Romæque meorum
Quicquid amicorum colui, noſtræque Camillum
Partem animæ in paucis meritò quē ſemper amarim,
Optarim felix ab eodem ſemper amari.
His memor exactis ad tecta relicta recurro,
Ac tua poſt tanto redeunti reddita ſero eſt
Verſibus impariter iunctis ſulcata papyrus
Nimbiſonos dequeſta notos, dequeſta procellas
Aëris & latio bacchata tonitrua cælo.
Vnius deſiderio (ſic reris) amici;
Et modo non orbæ luctum teſtantia Romæ.
Ridiculè. num terra minus Picena laborat
Interea? ſupra fulget num purior æther
Degit vbi nunc ille tuus? commune pauemus
Exitium, vitæ dubius nec inobruta fletu
Ora gerens alio longè ſub ſole ſalutis
Incertæ dum vota facit propè fractus & exſpes.

Quæ

Quæ primum, quæ deinde ſequar diſcrimina quæſtu?
Num priuata prius, num publica vulnera tangam?
Attonitoſne metus, quos tela tricuſpidis ignis
Aſſiduè feriunt toto reboantia cælo?
An terræ tremitus & cæco nubila tractu
Spiramenta cauis latè luctata cauernis,
Tecta remoliri queſſo nutantia textu?
An dicam tantos gelidis Aquilonibus Auſtros
Et pluuias mixta glomorantes grandine nimbos?
An quod iners aër exemptum nubibus explet
Ignibus vſque diem ſciſſa de nube coruſcis
Vndique nec vento, nec nube, nec vtilis igni?
Anne bis octonis iam perpetuata diebus
Prælia ventorum? an craſſo pendentia cælo
Nubila? an excuſſis iratos pontibus amnes
Illuuiem campos, annonæ damna mirantes.
Cumque boum ſtabulis, ſyluaſq;, gregeſq; trahentes?
An flauis alio tranſlatas turbine meſſes?
Stramineaſque caſas liquidum per inane volantes?
An quod ſemirutis iam turribus hauſta dehiſcunt
Oppida, dilapſis ſubito terrore colonis?
An deſolatus raris iam ciuibus vrbes?
Ergo hoc illud erat, ſummo quod bruma Decembri
Ante expectatum, fruges præcepit & æſtus
Et præfeſtinos alieno ſidere flores;
Triſtia cum lungo per cælum incendia ſulco
Ignitæque trabes, & diri arſere Cometæ?
Hactenus o vtinam vindex deſæuiat ira
Numinis offenſi culpas vt pœna recidat:
Aut monſtri ſi quid feriendum cælitus vlli
Reſtat adhuc; hic hic feriat dum cætera parcat
Tangere, non vllo redimenda piacula ſæclo
Iam bonus & Dominus patiens Genitorque vocari

Chriſtiadum genitrix Picenum proxima cultrix
Pacis Diua potens, quæ de laurentide Sylua
In tacto ſuſpenſa ſolo ſacraria ſeruas
Parua Paleſtinæ patria de ſede refixa
Si latium felix, ſi reſpicis æqua latinas
Picenteſque plagas & centum rite per vrbes
Quas tibi præſenti memores ſacrauimus aras;
Tu tu prima tuas ædes ne deſere Virgo
Tu, quam ſæpe ſoles, miſeris expoſce ſalutem
Vltriceſque faces, intentaque fulmina Nati.
A templis auerte tuis niſi ciuibus æquum eſt
Conſulere indignis, tibi dignæ conſule, Mater,
Publicus hic luctus clades hæc publiea gliſcit.
At me, quod nolis, Iuuenum lectiſſime, longè
Diſiunctum circùm veniunt mærorque, pauorque,
Omnibus & fibris diſperſus & omnibus acer
Artubus vt crebro dolor internodia morſu
Vellicat, vt crudo diſtendat viſcera flatu
Languor iners, vt prætumido de corpore mortem
Parturiat, dubia caput vt vertigine verſet,
Sanguinis vt venis reſciſſa fluentibus atri
Non intellectum auertant præcordia tabem.
Nam quid ego longi deplorem tædia morbi
Noctis & excubias inſomnis, & anxia curis
Pectora monſtriferis lætis & inhoſpita Muſis?
Aegræ quid gemitus inter faſtidia vitæ,
Et votum iam velle mori, non poſſe gementi?
Hoc bene quod iuſtæ non intractabilis iræ
Aſſueta ceruice iugum ſubeoque, feroque,
Et malæ quæ merui tolero bene ſtamine dextro;
Communi dum cuncta fremunt elementa tumultu.
Priuato ſub faſce gemo, nil Numen amicum
Molle rogaturus nulli malè creditur æque

Ac

Ac mihi, qui numeros omnes rimatus Honeſti
Hoc tantum didici Doctis benè velle, Boniſque.
Cauſa perorata eſt, quæ noſtra ſilentia culpæ
Eximat, adſcribat veniæ, te iudice, Roſtri,
Hæc tibi dictabam media de nube dolorum.
Luce ſalutari poſito qua corpore felix
Anna nepote Deo Diui tenet aſtra nepotis;
Tu niſi verſiculos centum tibi fellis amari
Me debere putas, cautus reſcribe trecentos:
Non leue noſtrarum lenimen, crede, laborum
Illud erit quodcumque tuum transmiſeris ægro.
Accipe & imperium. Si quando limina viſes
Quæ niuis ipſa ſibi defuſo candida nimbo
Mater in exquilijs Sextili menſe notauit,
Sis memor vt facili narres hæc vota Parenti
(At verbis ornanda tuis). da pectoris æſtus
Ponere poſſe, Parens, faſtus elide ſuperbos,
Ingenium da lene precor rectique, bonique,
Imperijque ſequax vt nullo degener æuo
Arbitrij Regina ferar Natique, tuique.
Denique communi claudatur Epiſtola verbo.
Roſtri care vale, ſimul & quæ pulcra minaris
Strenuus vt noſti, ſuperis plaudentibus, vrge.
Ingenij dum vernat honos, dum mobilis ætas
Artificis digitos expectat cærea fingi
Et ſimul has nugas oculis fugientibus oro
Perlege; perlectas manibus concerpe duabus

BERNARDINI STEPHONII DE CHRISTI NATIVITATE MAGISQVE REGIBVS

ELEGIA I.

COnſulis æterni niueæ fulſere calendæ.
Faſcibus auratis aureus annus init.
Iam melius ſoles, melius iam ſidera lucent:
Pinxit & æterno Gratia flore genas.
Ite, quibus ſaliunt præcordia fortiùs oeſtro;
Perque domos Vates ludite, perque vias.
O vtinam tanto mihi ſurgant nixa cothurno
Carmina, ſat quanto ſit ceciniſſe Deum:
Forſitan auderem quiddam, quod Mincius ipſe
Romana maius diceret Iliade.
Forſitan & fluxa pallerent fronde corymbi:
Quos ſeptem memorant Vrbibus eſſe graues.
Nam canerem, quantas depreſſo lapſus olympo
Contulit humanis oribus ora Deus,
Nudus, inops, infans, & fulmine Patris inermis,
Quantulus adlallet Virginis vberibus.
Vt, quæ ſtellifero Mundi ciet aſtra rotatu,
Arcta liget teretem faſcia dexterulam.
Non ego vimineas cunas, non antra tacerem
Horrida, non ſcythicis obuia tecta Notis.
Dum vaga nocturnas inſtaurant aſtra choreas:
Lumine dum toto Luna repexa ſilet.
Frigora dum rumpunt cautes: dum lubrica fonte
Stiria dependet, dum niue bruma riget.
Peruia dum Threſſis animis ſpelunca remugit:
Omnibus aſſiduo dum calet igne focus

Ille

Ille tamen, tamquam Boreæ colluderet, Infans
  Heu tener in duro ſtramine procubuit.
Interea Aligerum circumſtrepe: e omnia pennis;
  Et viduata ſuis ciuibus aſtra canam:
Pars mihi prætexit rigidum fulgore mapale:
  Inijciet Boreæ pars mihi fræna truci.
Pectine pars numeros argutè flectet: eburnæ
  Pars digitis tanget garrula fila chelys.
Lilia pars hortis fundet ſublecta paternis:
  Pars pluuijs antrum ſternet, vt aſtra, roſis.
Pars celeres læto diſcurrens nubila gyro
  Inſtituet circum ruſtica tecta choros:
At quæ ſe Pueri fundet cunabula circùm
  Cernua, de roſeo combibet ore faces.
Nec non ingenti Volucer ſub luce ſerenus
  Ad vigiles caulas gaudia magna feret.
Inſolita ſub luce canum latratus in auras
  Sæuiet, & vano fida lyciſca metu:
Ruſtica dum cœtum Pubes imitata volucrem;
  Inferet aud.ntes non ſinè laude pedes.
Paſtorale canens ſuperos ſtrepet inter olores
  Fiſtula, cui calamus iungitur vſque minor.
Hic motus incompoſitos dabit Alpheſibæus,
  Diſparibus cantus Mopſus arundinibus,
Quos nemorum Virgo, per concaua ſaxa volutos;
  Excipiet breuibus ſemiputata notis.
Afferet hic niuei durata coagula lactis,
  Afferet hic hædum matris ab vberibus.
Mitior huic humeros premet agnus ſarcina mitis.
  At certè eſt agno mitior ille Puer.
Interea Ganges, metuens & pontis Araxes
  Nyſigenaſque citat, Memnoniaſque domos.
Et myrrhæ calathos homini, Regique talenta

Digitized by Google

Aurea deproperat, thurea dona Deo.
Hic mihi ſe quanto productum carmen hiatu
Tolleret, ingreſſum Regna per atra ſemel.
Aut vbi vatidico ſcintillat ſidere cælum,
Indicet vt cunas nuncia flamma Dei:
Aut vbi primores coeunt opulenta Syenes
Regna Duces, gnaros illa quid aſtra ferant.
Aut vbi regali diſquirunt dona paratu:
Aut vbi gemmiferæ ſollicitantur aquæ.
Aut vbi iam longo producitur ordine pompa,
Et ſtrepitu feruet quadrupedante ſolum.
Aut vbi centeno duplicata volumine cingunt.
Turbinis in morem carbaſa torta comas.
Aut vbi nigrantes vultus, nigrantia colla
Cæruleo Reges tegmine ritè gerunt.
Aut vbi falcato ſtellatus acinace baltheus
Gemmeaque accingit fibula nexa latus.
Scilicet ingenti Solymorum fama tumultu
Mœnia, & inſani pectora Regis agat.
Nomina cum Regum, numerum cum dicet equorũ;
Et quibus ex oris munera quanta vehant.
Tum magis illuſas auro cum regia veſtes
Turba trahet dominos ponè ſecuta ſuos.
Agmine cum denſo compleri compita cernent.
Indaque vectabit bellua vaſta Duces.
Et niſi mens fugiet ſæuæ ſpectacula cædis;
Rachelis gemitus carmina noſtra dabunt.
Quantaque Bethlemios tempeſtas merſerit agros:
Sanguinis vndarint flumina quanta vias!
Interea ter ſponſa Deo pro munere terno.
Carmine pro tanto ter tibi corda fero,
O ſuperum cuſtos, & mentis pura voluptas,
Iuſſà fero, accipias munera parua Puer.

AD

AD PVERVM IESVM NOENIE B. VIRGINIS

ELEGIA II.

MAgne Puer, formoſe Puer, pulchelle Puelle;
Bellule, blande Puer, blandule, belle Puer.
Parce ciere, Puer, rorantia lumina fletu:
Lumina lacrymulis parce ciere Puer.
Parce Puer: Matris liquuntur viſcera ſomno
Humida lacrymulis lumina conde Puer.
Nate, meæ vires, mea maxima Nate voluptas,
Deliciæ magni, diuitiæque Patris.
Ah tua quid tantis arſerunt viſcera flammis;
Vt caſulæ cælum poſthabuiſſe velis?
Quid tua tam vehemens percuſſit pectora thyrſus;
Stramineo vt poſſis incubuiſſe thoro?
Patris opes illæ, cæli illa opulentia diues,
Ille potes membris obriguiſſe gelu?
Ten Puer obriguiſſe? Tibi tua tecta negari?
Nec potuiſſe Deum, nec voluiſſe capi?
Ah Puer immorior; gemmas compeſce cadentes:
Parce precor lachrymis. ah Puer immorior.
Ah iterum immorior. quid me Puer aſpicis heu heu
Non potis eſt oculos ferre medulla tuos.
Gaudia fles Diuum? Patris fles illa voluptas?
Saucior. arrides? ſoluor amore Puer.
Ante Puer fletu, nunc riſu corda laceſſis:
Si fas; ne moriar, belle Puelle, fleas.
Conde Puer melius ridentia lumina ſomno:
Humida lacrymulis lumina conde Puer.
Irrigua melius laxabis corda quiete;

Et

Et minus immitis corpus aduret hyems:
Bellule, turgidulas palmas abſconde papillis:
   Turgidulos gremio bellule conde pedes.
Nate genis compone genas, labriſque labella:
   Suauiolum Matri, bellule, redde tuæ.
Ah ſatis, expiras ardenti pectore flammas.
   Vror io, remoue belle Puelle genas.
Parce Puer. Matris liquuntur viſcera ſomno:
   Humida lacrymulis lumina conde Puer.
Lacteolas compone, ligent vt vincula, palmas,
   Lacteoloſque, liget faſcia, iunge pedes.
Fulmea vt aſſueſcas tandem deponere vindex,
   Plurimus hæc circùm bracchia nodus eat.
Bellule, deliciæ Genitricis, blandule mammas
   Appete lactentes, Pupe tenelle tuas.
Ibimus in laudes, ſopor vt ſubrepat ocellis:
   Gemmea candidula ſidera claude gena.
Non ſatis in laudes quamquam ſumus, ibimus: atqui,
   Te puero, laudes attenuare licet.
Omnia conueniunt nobis, vt cetera deſint.
   Artubus exiguis, te latitante, Deus.
Et tua ſi ſpectes primæ cunabula lucis;
   Laudabis numeros, belle Puelle, meos.
Ibimus in laudes. Boreæ poſuere procaces;
   Aduolitant cunas agmina picta poli:
Et gaudent circùm celeres luſtrare choreas
   Et fidibus doctis aſſociare pedem.
Aſpice mobilibus digitis cum voce locutis
   Flectat vt ad numerum carmina pulſa fides!
In ſomnum faciunt nerui, ſuperique, chorique,
   Dum licet, irrores membra tenella quies.
Sparge ſoporifero radiantia lumina rore:
   Carminibus, Diui, iungite veſtra meis.

Si

Si licet, arcanos Matri deprendere ſenſus;
Carminis ambages magne retexe Puer
Næniolam tibi belle cano, qua nænia non eſt
Pulchrior. huc adſis nænia næniola.
Tu, Puer, æterno ſoboles æquæua Parenti
Aequali Numen de Genitore fluis
Vno Patre minor: quia de me naſceris. æqua
Cætera ſunt: genitum Numine Numen habes.
Sol de ſole micas; clarum de lumine lumen:
Filius exoreris non oriente Patre.
Sic etiam ſplendor, ſimul ignis cœpit oriri,
Emicat: effulges ſic Deus ipſe Deo.
Næniolam tibi belle cano, qua nænia non eſt
Pulchrior. huc adſis nænia næniola.
Tu vigor æternus, tu virtus, dextera, robur,
Patris in immenſo pectore templa tenes.
Scilicet arcanas noſti Sapientia curas,
Et patriæ numeras bellule mentis opes.
Tu ſpecies non ficta Patris, tu Patris imago
Conſilium, lumen, res opulenta, Deus.
Te Genitor gaudet Genito: Genitore beatus
Ipſe tuo gaudes, omnia Patris habens.
Næniolam tibi belle cano, qua nænia non eſt
Pulchrior, huc adſis nænia næniola.
Hinc illa exundat Domino natiua voluptas:
Hinc patrio ſemper gaudia fonte cadunt.
Ille tuos dulci amplexus deuinctus amore
Semper amat: ſemper te redamante tenet.
Non fugis: vſque tenet: noſtro quamquã editus orbi
Bis genitus terris conſpiciendus eris
Verus Homo, veruſque Deus ſpectabere terris.
Patris eris ſoboles vnus vtrumque tui.
Vnus vtrĩuſq; Patris: ſoboles quoq; Matris: Amore
Vnus

Vnus eris famulæ, belle Puelle, tuæ.
Næniolam tibi belle cano, qua nænia non eſt
Pulchrior. hic adſis nænia, næniola.
Ergone qui cælo, qui terris lucidus exis,
Viſcere de noſtro conſpiciendus eris;
Ergone tu famulæ pendebis, Nate, mamillis?
Ergone tu Mariæ ſarcina dulcis eris?
Felices curæ, felicia pondera, felix,
Aduenit e cunis qui mihi vita, labor
Bellule claude Puer, gemmantia ſidera ſomno:
Gemmea candidula lumina claude gena.
Proficiunt laudes; conniuent lumina: ſenſim
Inſinuat cantu conciliante, ſopor.
Proſequar: adſpiret cœptis modo Numinis aura,
Dum natat incerto lumine blanda quies.
Næniolam tibi belle cano, qua nænia non eſt
Pulchrior. huc adſis nænia næniola.
Ante ſatus omnes vitarum Vita fuiſti:
Omnia quod viuunt: munus, opuſque tuum eſt.
Fons vitæ, fons lucis eras, & ſidera nondum
Iuſſerat æternas Auctor obire vices.
Cum Patris accitu rerum prodiret in oras
Omnigenus vultus; te quoque ſcena tulit.
Sed tulit Artificem: tulit omnia lege gerentem:
Conſilium Patri, fœdera rebus eras.
Næniolam tibi belle cano, qua nænia non eſt
Pulchrior: huc adſis nænia, næniola.
Te ſinè nil opifex medium poſuiſſet in vſum:
Quæ poſuit, digito ſunt ea ſecta ſuo.
Ipſe aderas operi indulgens; tuus omnia ludus:
Omnia te iuuit diſpoſuiſſe locis.
Cum Pater omnipotens nitidos extunderet orbes;
Horum, dicebas, aptus hic vſus erit.

Cæ-

Digitized by Google

Cælum lucis egens ſolis vulgauerat ignes :
  Sidera ſolis erit per duodena labor .
Signa dabat Genitor ? cæleſtia ſigna locabas
  Nobilis Aedilis Patris in Vrbe Puer .
Næniolam tibi belle cano, qua nænia non eſt
  Pulchrior. huc adſis nænia næniola .
Lege tua ſecuit genitalia corpora rerum :
  Et data non violant fœdera lege tua .
Sta tri Terra ſua: Tellus immania Cælo .
  Suſtinet affiſo pondera, lege tua .
Cærula non audent tranſcendere littora: fluctus
  Littora non audent ſcandere, lege tua .
Lege tua patuit volucri genitabilis aër :
  Lege tua vario corpore verrat humus ;
Lege tua menſes ſcribuntur: ſcribitur annus
  Menſibus: effugiunt tempora lege tua .
Semina lege tua coaleſcunt: lege ſeneſcunt :
  Lege natat piſcis : bellua lege viget .
Omnia lege tua certus diſcriminat ordo :
  Et tua vis rerum corpus in omne fluit .
Næniolam tibi belle cano, qua nænia non eſt
  Pulchrior. huc adſis nænia, næniola .
Heu tantum de te licuit ſcelus ! omnium egenus
  Nudulus has ædes, hæccine tecta colis ?
Ille Deus, Deus ille gemis, vigor ille, poteſtas
  Illa Patris lacrymis immaduiſſe potes ?
Magne Puer, generoſe Puer, pulchelle Puelle
  Non his digne Puer, belle, tenelle Puer .
Sic opus humanum ? quid opus cum bellule dixi
  Humanum, fugit lumina victa ſopor .
Quid Puer euigilas ? dormi, belliſſime, dormi
  Pupule, belle Puer, blandule conde genas .
Næniolam tibi belle cano, qua nænia non eſt

Pul-

Pulcrior. Huc adſis nænia næniola.
Quid Puer euigilas? animi quæ gaudia vultus
Indicat, & rupto verba coacta ſono?
Scilicet hoc vnum reſtabat, bellule, Verbum
Vt bleſum nulla voce ſequente foret.
Quid niueæ palmæ, quid mentis certior index
Riſus? an his potuit riſus abeſſe malis?
Belle Puer, tantis carpuntur viſcera flammis;
Vt tacito poſſis læta fouere ſinu?
Dulcia, care Puer, bis erunt tu gaudia terris:
Dulcis eris riſu, munere dulcis eris.
Vt ſinè te nunquam terris maiora dediſſes
Munera, ridendo ſic meliora dabis
Blande Puer, feſtiue Puer, quem fleſſe decebat,
Exhilaras oculis pectora mœſta tuis?
Tu tamen in terris (Vatum ſi carmina vera:
Aut quia ſunt Vatum carmina vera) cades.
Subrides & adhuc? cohibe, Puer optime, riſum.
Riſus hic (ah cohibe) vulnera Matris erit.
Næniolam tibi iam cecini, qua nænia non eſt
Pulchrior. heu ſatis eſt nænia, næniola.
Vulnera Matris eris ridendo, vulnera flendo:
Riſus hic, & fletus ſigna doloris habent.
Indicium riſus flammati pectoris; heu te
Ridentem (& rides?) mors violenta necat.
Næniolam tibi iam cecini, qua nænia non eſt
Pulchrior. heu ſatis eſt nænia, næniola.
Immemorem lethi meritorum gaudia tangunt:
Pectoraque impellit præſcia mortis Amor.
Care Puer, feſtiue Puer, ſuperabis amando
Omnia: non dignis bis tua dona dabis.
Hic honor, hæ ne genæ palleſcent morte futura?
Hic fugiet vita ſuffugiente color?

Næ-

Næniolam tibi iam cecini, qua nænia non eſt
Pulchrior. heu ſatis eſt nænia næniola.
Has ne manus, hæc colla, Puer, fœdanda relinquis?
Vulneribuſque lacer membra ſecanda dabis?
Traijcienda dabis crudeli pectora ferro
Immeritaſque manus, immeritoſque pedes.
Næniolam tibi iam cecini, qua nænia non eſt
Pulchrior. heu ſatis eſt nænia næniola
Haſne niues? hoc frontis ebur? per tempus adacta
Sanguineis tinget ſpira cruenta notis?
Næniolam tibi iam cecini, qua nænia non eſt
Pulchrior. heu ſatis eſt nænia næniola.
Lætitiæ ſedem hos oculos, hæc ſidera clara
Obruet obſcura ferrea nocte quies?
Bellule deficio. Matris præuerte dolores:
Gemmea candidula lumina claude gena.
Magne Puer, formoſe Puer, pulchelle puelle;
Blandule, belle Puer; bellule, blande Puer
Næniolam tibi iam cecini, qua nænia non eſt
Pulchrior. heu ſatis eſt nænia næniola.

DE PVELLO IESV

ELEGIA III.

QVi potuit ſiccis oculis audire querelas
Numinis infantis; ferreus ille fuit:
Illum ego conuincam hyrcanis in montibus ortum:
Illum Scylla ferox expuit e ſcopulis.
Ah pudet immeritos Pueri neſcire dolores:
Ah pudet indignos erubuiſſe toros.

Ru-

Ruſtica compacta luſtramus culmina canna.
  Plurimus indè faces eiaculatur Amor.
Et Rex, & Deus, & magnum Patris Incrementum
  Debile, frigidulum, corpus inerme gerit.
Tantulus ex tanto teneros collectus in artus,
  Haud cælum erubuit poſthabuiſſe caſæ.
Pro picturatis cunis; pro murice, & auro;
  Fulta tener duro ſtramine membra fouet.
Vtque Deus dici poſſit mortalis, honore,
  Et ſolio viduas fit Deus ipſe ſuo.
Non lacrymis maduiſſe fuit; non turpe rigenti
  Lacteolos artus obſtupuiſſe gelu.
Turgidulis gemmas euoluit fletus ocellis
  Et tamen eſt cæli gaudia, riſus, amor.
Tantus ibi vagit: quantus flammantia nutu
  Aſtra quatit; quantus tela triſulca iacit.
Et gremio inſidens caræ Genitricis, amore
  Paſcitur, haud aliud, quo teneatur, habet.
Sæpe caput tereti gaudet poſuiſſe mamilla;
  Vbere ſæpe liquor lacteus elicitur.
Sæpe Puer labiis gaudet iunxiſſe labella.
  Oſcula dat Matri millia, datque Patri.
Sæpe leui niueos ſomno declinat ocellos.
  O Patria ò valeat gemmea ſella Patris.
Immemor irarum, ſcelerum, Patriæque, ſuique
  Virgineo mauult ludere poſſe ſinu.
Deſæuire graues paſſus iam mitior iras;
  Vindice proiecit tela cruenta manu.
Eminus abiectum exeditur ferrugine fulmen;
  Immemor extinctas negligit igne faces.
Atque faces alias, alios molitur & ignes.
  Iam bonus in nocuos altera tela mouet.
Induit & puerum, tenaroque indulget Amori:

Et

Et velit vltrices non habuiſſe manus.
Sic quoque qui cornu iactat ſe nobilis vno,
Fronte minax, ludit virginis ante pedes.
Obuius ille venit mulcendus ſponte: cruentus
Omnibus in ſyluis qui modo terror erat.
Virginis attactu feritas miteſcit, & ira.
Forſitan & tacito talia corde mouet.
Tutior hic iaceo tenerorum luſcr amorum:
O valeant ſyluæ: præda cruenta vale.
Magne Puer, qua nam poſſim te dicere cauſſa
Criminis vltrices depoſuiſſe minas?
Sæpe tibi memini repetitas ſanguine pœnas:
Sæpe nocens Tellus fulmine tacta tuo eſt.
Sæpe lues totas exhauſit ciuibus Vrbes.
Sæpe feræ populos bella dedere neci.
Naufraga quin etiam tellus vltricibus vndis,
Aequoreis, monſtris eſca, natauit aquis.
Rex, vbi virga? Deus, quæ Diui inſignia geſtas?
Numen, vbi? patrium, Paruule, fulmen vbi eſt?
Scilicet & ſceptrum, & fulmen victoris Amoris
Præda fuit: qua nunc ille triumphat ope.
Ille ſuo cœli viduauit ſidera Rege:
Ille iubet pueri in carne latere Deum.
Ille docet patrias antro poſtducere ſedes:
Ille docet nudo decubuiſſe ſolo.
Queſtibus ille docet lacrymas miſcere tepentes;
Et ſingultantes ore ciere ſonos.
Pendentemque docet matris lallare papillis;
Aligerum pendet cuius ab ore cohors.
Condere ſidereos in ſomnum ſuadet ocellos;
Qui vigil eſt oculus, conſiliumque Patris,
Quæque vices flectit: quæ Mundi flectit habenas;
Decidit irriguo victa ſopore manus.

Ah

Ah pereat, feſtiue, tuos qui neſcit Amores:
Ah iterum pereat ferreus ille, Puer.

DE FELICI AVSPICATIONE ANNI EX NOMINE IESV

ELEGIA IV.

IAne bifrons, niueis ſemper rediture calendis,
Enthea quem clara nomina luce notant.
Incipe felices in gaudia ducere ſoles:
Incipe quos ponent omina prima Dei.
Dum loquor, en noſtris volitat concordia terris.
Aurea mortales otia Pacis amant:
Nullus in Aemathia miles deſæuit arena:
Nullus in Actiacis puppibus arma mouet.
Occidit admotis mammæ Regina colubris:
Quæ rate barbaricas ſollicitabat aquas.
Occidit abiectis fugiens Antonius armis:
Verterat in patriam qui ſua tela ſuam.
Subſidunt Medi: bellum poſuere Sicambri:
Et placido Nilus deuchit amne rates.
Deuehit & Ganges, & lætum currit Araxes:
Lenis & Amphriſus, lenis & Eridanus.
Tybri tibi iam ceſſit Arar, iam ceſſit Iberus:
Totus & Oceanus ſub tua iura fluit.
Non ferus ille canor lunatis frontibus hoſtem.
Vrget, in aduerſos vulnera ferre viros.
Sed Paci rabies belli: Mauortius ardor
Multiplici modo membra liganda dedit.
An licet in multos iaculari gaudia menſes?

Et

Et ſpes in longum fingere mente licet?
O mihi qualis honos oculis, o quantus oberrat;
Cum Iuuenis capiet ſceptra gerenda Deus!
Iam video pictas acies, pictaſque cohortes:
Conſpicuoque ſolum quadrupedante quati.
Illuſas auro chlamydes, grandique ſmaragdo
Iam video, & facili ſceptra mouenda manu.
Quam bene ſubflauo ſparguntur colla capillo!
Quam bene purpureo membra colore vigent?
Talis honor Iuuenis, qualis fulgeret eois,
Quæ ſine nube foret, nec tamen orta, dies.
Aut vbi ſol radijs flores irrorat obortis;
Cum matutinas excrit amne comas.
Aut ebur, aut marmor cum multo ſqualet in auro;
Nobile phidiacæ quod poſuere manus.
Aut cum contexto diſtinguunt alba puellæ
Lilia Narciſſo, purpureaue roſa.
Vultus, honos, acies conſcribunt pectore Regem:
Ventilat accenſas vndique forma faces.
Quas hic cumque ſuo terras dignabitur ore,
Ilicet & roſeo cinget honore Deus;
Naſcentur violæ, naſcentur lilia, ſi qua
Proſpiciens Mundo fixerit ille pedem.
En video pleno decurrere gaudia riuo.
Quercubus en rigidis roſcida mella fluunt.
En vini latices ad plenum copia fundit:
Obuia de ſaxis vbera lactis eunt.
Occidit & Serpens, & fallax herba veneni
Occidit: & ſæuis accubat agna lupis.
Bucera non metuunt in agros armenta leones:
Cum canibus fontis pocula dama petet.
Vndique lætitiæ plus emicat: vndique Tellus
Ingeminatque preces, ingeminatque faces.

Diſ-

Diſſiliunt ſyluæ, referunt percuſſa ſonorem
Littora, & agnoſcunt corde micante Deum.
Cernua procumbit duplicato poplite turba:
Et precibus Numen clam ſibi quiſque vocat.
Numen io, ſuperum Numen: ſpes fida ſalutis
Numen io, popul reſpice vota tui.
En tibi verſicolor paries aulæa figuris
Explicat; en vario compita flore pluunt.
En tibi ſupplicibus cumulant altaria donis:
Integrat en numeros pollice pulſa fides.
Entibi pro cenſu de marmore templa locamus.
Aurea quæ Pietas, gemmea malit Amor.
Thure ſonant aræ, ſertiſque recentibus halant
Halat odorato ſpica cyliſſà croco.
Quicquid Arabs, quicquid tellus Panchaia nutrit:
Quicquid Orontæo mittitur orbe, damus.
Atque omnes Orientis opes, & meſſis odoræ;
Siue tuas Phœnix, ſiue Sabæa tuas.
O mihi tam longæ ſuperet ſi ſpiritus auræ;
Omnia dum veniant ad tua iuſſa Puer:
Aurea compoſito ſtatuas dum ſæcula Mundo:
Hoſtibus exactis dum tua regna loces.

IN DIEM ANNVNCIATIONIS B. M. V.

ELEGIA V.

AEqua ui cælo Iuuenes, ſtellata Volucrum
Agmina, ter terno nomine cenſa Manus:
Qui Dominum, Regemque Deum; tetraſque ſequun-
Vir-

Virginis addenſo cingitis orbe larem.
Dicite (mortali ſi fas cognoſcere) nobis
Qua prece? quo cultu thuris emendus adeſt?
Quæ? quot? vbi? quo de ſaxo ſibi templa locari
Poſtulat? & fieri qua ſibi merce cupit?
Quantus erit? quantis ſe tollet rebus ad aſtra?
Quod decus, & quantum quàm geniale feret?
Iam video fuſos præcingi ſidere crines:
Et niue iam mixtas ore rubere roſas.
Aequis membra modis conſpirant: ora, iuuentas,
Ingenium, mores, lumina, verba, color.
Qualis Acidalijs viuens roſa fulget in hortis,
Cum matutino gemmea rore micat.
Qualis in Hyblæis cum ludit gratia lucis,
Halat odorato florea terra ſinu.
Tale decus Iuuenis per conſona membra refundet,
Spectandum ſe ſe cum dabit ille ſuis.
Cernitis vt feſtum comitetur turba triumphum,
Quanta præit? ſequitur quanta trahente Deo!
Iam pauor attonitum exhaurit, iam dulcia venis
Gaudia permiſcent, iam mihi corda micant.
Auditis? tonuit cælum: ter pulſa ſonorem
Terra dedit. fallor? en Deus, ecce Deus.
Huc violas, huc funde roſas, huc lilia flores
Proterat in terris, qui terit aſtra Polo.
Alba coronato procedat turba capillo:
Ecce Deus: Numen clam ſibi quiſque vocet.
Thure vaporati fument altaria templi
Et peragat vario tegmine Myſta ſacrum.
Buccina non clangit, non turbant cornua mentes?
Cur lyra? diſparibus cur ſilet ordo tubis?
Flectite mobilibus digitis in carmine chordas:
Docta locutura cum fide verba ſonent,

Interea, rauci mentita tonitrua cæli,
Bellica conceptis ignibus æra ſonent.
Et genus omne pluat florum, genus omne colorum;
Et roſeas fontes eiaculentur aquas.
Explicet auratis paries aulæa figuris,
Belgica quæ docta fœmina pinxit acu.
Editus hic nihilo naturæ Vultus, & ordo
Numinis accitu, ſtamine pictus eat.
Hic mihi ſit Genitor, veterem qui lege tumultum,
Semina qui certa quattuor arte locat.
In medium grauiora cadant, leuiora recedant:
In gyrum Tellus pendeat: vnda fluat:
Ambiat & terras, & aquas ſpirabilis aër;
Ignis & æthcrea deligat arce locum.
Nec color vnus erit, cælum ſcintillet in auro.
Gemmea cæruleum tollat arena fretum.
Terra coloratas gemma diſcriminet herbas,
Aëris ex hyali forma colore placet.
Aurea ſit Soli facies, argentea Lunæ;
Signiferi Mundum Zona recincta ſecet.
Sentiat Axis onus: reuolutis orbita cæli
Trita rotis auro fi.li le ſignet iter.
Hoc duodena notent monſtroſæ ſigna figuræ,
Annus & hac cæli parte remenſus eat.
Squammea monſtra natent: repant animalia terris,
Et liquidum pennis aëra findat auis.
Surgat & ille Parens e cæno fictile corpus,
Et Dominus Terris imperet, atque Mari,
Aurea ſuſpiciat cognati ſidera cæli;
Iuſſa Viro condat lumina bina quies.
Fuſus humi iaceat, damnum nec ſentiat oſſis:
Et latere exſiliat fœmina ficta Viri.
Fœmina diſſidij princeps heu cauſa futuri!

Eœ-

Fœmina per ſerum damna datura genus.
Hæ Patris antiquæ laudes: hæc debita Nato
Plenior accipiet ſceptra gerenda Deus.
Iam nunc aure iuuat ſtrepitus audire tubarum,
Iam nunc agnoſcant turbida corda Deum.
Ecce Deus: micuit Cælum: diſcinditur aër.
Corda pauent: tellus ſubſilit: vnda fluit.
Talia dum quæro, ſuperum delabitur vnus;
A vultu Michäel, vt reor, ille fuit.
Imperij Michäel patrij, & natalis olympi,
Et patriæ Vindex, Alituumque decus.
Acer erat, claraque Puer metuendus in haſta
Crinibus intonſis, & ſinè pube genis.
Aegida munitum geſtabat pectus, & armis,
Et clypeo, atque ocreis conſpiciendus erat.
In Clypeo fratrum motus deſcripſerat auro,
Conſciaque elato nomina iuncta Duci.
Arduus exſurgit collatis vndique ſignis
Improbus inque Patrem iurgia dira iacit.
Non tulit hanc ſpeciem Michael, cæloque coacto,
Irruit, atque diu prælia iuſta mouet:
Aſpiceres illic quantus ſæuiret in hoſtem,
Multaque victrici ſigna relata manu.
Fecerat & ſtygios amnes grauceolentis Auerni,
Gorgonas, & Scyllas, Cerbereoſque canes.
Hic vbi me ſenſit tales euoluere curas;
Purpureo tales fudit ab ore ſonos.
Ah puer, ah fruſtra ſub pectora regna volutas:
Numinis ah fruſtra tempora læta canis.
Accipe qui maneant: quos ſic tibi fingis honores:
Senſibus atque imis dicta repone memor.
Principio præſepe dabit cunabula Regi
Cum mihi delicijs illius Aula fluet.

Digitized by Google

Hic ſtipulis Infans dabitur, calamoque paluſtri.
Findentur rigido membra tenella gelu.
Quo gemitu Matrem: qua Patrem voce vocabit?
Cum teneros artus ſæua peruret hyems!
Ah ego non poſſum tales audire querelas:
Ah ferus, ah lacrymis parcere qui poterit?
Hunc ego crediderim ſcythicis in montibus ortum:
Expuit hunc monſtris Scylla remiſſa feris.
At quæ dira lues vaſtas peruaſit in vrbes?
Cur humus Infantum cæde cruenta natat?
Quid Puerum externis ſubigit ſuccedere Regnis?
Quam pergit Mater, quam Pater, ire viam?
Heu ſcelus, heu facinus! noſco furiale Tyranni
Pectus: inexpletam ſanguine noſco ſitim.
O vbi Bethlemiæ turris aſſurgitis, & vos
Bethlemias turres quos coluiſſe iuuat.
Ne properate necem ſceleri: neu ſumite pœnas:
Tempus erit, pœnas cum luet ille necis:
Scilicet vt regnes, cæli vis perdere Regem?
Non erit, edico. Mors tibi fœda manet.
Videris innatos abſumere viſcera vermes,
Et liquefacta malo viſcera totra trahi.
Forſitan & Iuueni quæ ſit fortuna requiris:
Et quæ ſit pleno mors adeunda Viro?
Ne Puer extremos luctus, ne quære dolores.
Sat tetigiſſe mihi, ſat didiciſſe tibi.

IN

Digitized by Google

IN INSTAVRATIONE VOTORVM AD CHRISTVM DOMINVM

ELEGIA VI.

VOuimus, & rurſum tibi pectora, Diue, vouemus.
Ah pudeat ſaltem nunc violaſſe fidem.
Promiſi quoties fidum tibi pectus Amanti?
Cum bene promiſi, maſcula verba cadunt.
Excidit atque fides, & pectoris excidit ardor:
Et redit ad mores mens labefacta ſuos.
Et quia crebra nefas texit, quia crebra retexit;
Negligit a tela iam remouere manum
Quæ bene non tractat, iam turpiter abijcit arma,
Iam quæ deſperat vulnera, feſſa fouet.
Nec tot in Ionio voluuntur littore fluctus;
Arbiter a fundo cum ruit Eurus aquas:
Anxia quot miſcent periuri pectora motus:
Spes, Timor inſanas verſat vtrinque vices.
Quæ volui, nolo; muto laudata: ſequenda
Quæ fuerant, fugio; quæ fugienda, ſequor.
Fraudes interea, Deus, & periuria terrent.
Mens dolet, & cauſis fluctuat vna tribus.
Et modo non audet non implorare ſalutem:
Diffiditque ſuæ vendita nequitiæ.
Numen teſtetur? Numen teſtata fefellit.
Corda det? hæc eadem perfida ſæpe dedit.
Ingemat? ingemuit. lacrymæ voluantur? inanes
Forſan erunt. tales ſæpe fuiſſe vides.
Verba dolor ſupplex raucis ſingultibus inter-
Rupta ciet? (miſerum me) vetus iſte dolor.
Conſcia perfidiæ ſcindantur corda tumultu?
Perfidiæ (facinus) conſcia nuper erant,

O ego ne placidas irritem perfidus iras,
Lux mea, quam malim frigidus eſſe lapis!
Stare vel aſſiduis cautes agitata procellis:
Aut in Sycanio Scylla retunſa freto!
Quo magis huc aures præſens, huc lumina verte.
Vltima fors etiam hæc vox morientis erit.
Te non eſſe rudem veteres detergere morbos,
Teſtatur ſupplex Magdalis ante pedes.
Cui nunc vota canunt, cui centum ponimus Aras,
Hæc (memini) noxæ pondere procubuit.
Sidere nunc frontem cingit, nunc ſidere crinem:
Oſcula quæ pedibus crine ſoluta dabat.
Lenis ades, tecumque feras, quæcunque dolorem
Vel pepuliſſe omnem, vel minuiſſe valent.
Sed pepuliſſe velis; & quicquid triſte timetur,
Carpathio tradat ferre procella ſalo,
Hoc mihi quod venis alitur, quod viſcera paſcit;
Ni tua, ſanabit nulla medela malum.
Haud ſimplex, haud, Diue, mea medicabilis arte,
Morbida vis ægro corde refuſa tumet.
Iam minus atque minus cor palpitat: intima tabes
Pectore crudeſcit, iam tremor oſſa quatit.
Non reſponſuris torpeſcunt viſcera venis.
Vlla nec in toto corpore fibra micat.
Aegra ſupercilijs acies abſtruſa cauernis
Omnia pallenti tincta colore videt.
Suffugiunt oculos formæ, fugientibus ipſis
Cuncta tenet vanis horror imaginibus.
Aſpera lingua tumet: luctantur verba palato:
Diſperit exangui cuanidus ore vapor.
Hæc adeò ſecura ſuæ mens conſcia cauſæ
Spectat, & (heu lacrymæ) diſſimulare poteſt?
Muta ſedet, nec muta metu, nec muta dolore:

Et

Et quaſi ſint vitæ ludicra damna, vacat.
Sæuit corde lues: ridet pellacia vultu.
Vlcus & attrectat cruda, fouetque ſuum.
Credula res ſpes eſt. morteo; ne fidite. frontis
Gaudia falſa, animi vulnera vera tegunt.
Spes animo Euboicæ ſpondet dum ſæcla Sibyllæ
Carpere, præſentem negligit illa diem.
Illa quidem mitis pugnat: ſed mitia non ſunt
Vulnera pugnantis. qua nitet, inde ferit.
Et virides annos, virides & corpore ſenſus,
Et loca blanditijs commoda ſæua canit.
Tum faciles riſus, tum verbis fœdera ſoluit
Irrita, vt & ſolito liberiora volent.
Otia tum quærit laxis furtiua cachinnis:
Egerit ingeſtam prodiga lingua bonum.
Lingua malum, quo non fuerit præſentius vllum:
Siue amor inſanæ, ſeu dedit ira faces.
Hinc variæ erupunt peſtes, hinc aſpera in hoſtem
Iurgia, & in magnum iurgia iacta Deum.
Sæpe venenatos docuit miſcere liquores;
Sæpe nouercales aſperat illa minas.
Illa dolos, & mille ſerit diſcrimina fraudum:
Illa dat in ciues ciuibus arma ſuos.
Illa Domos, Vrbes, vaſtat cultoribus agros;
Nullus amor rabidam, gratia nulla domat.
Heu fuge, quem ſæuæ ſtimularunt iurgia linguæ:
Heu fuge præcipites in ſua damna pedes.
Non pede calcatos Hydros, non ira leones:
Non tantum Hyrcanas incitat ira feras.
Qualis in exitium thyrſis armata Lycurgi
Nocte ſub illuni Thias in antra fugit.
Qualis & Alcides Neſſæa tabe pererrat:
Et rotat exanimem terque quaterque Lycum.

Talis & illa ruit: nec vis potis vlla ruentis,
  Aut cohibere minas, aut prohibere manus.
Quiſquis es, hanc nodis, hanc centū aſtringe catenis.
  Vndè minus reris, bellua ſæua nocet.
Hei mihi quàm facile eſt poſt vulnera dicere leges:
  Tum decuit, linguæ cum tua iura dabas.
Pectore nunc igitur melius ſuſpiria rumpis;
  Intima cum venis ſpina cruenta ſedet.
At tu, Diue, tuo ſerues ſi munere ſontem:
  Teque mihi reddas, arbitriumque mei:
Ipſe tuas laudes, tua munera carmine dicam:
  Arbitrijque tui, Diue, Poëta ferar.
Et referam cantu teneri primordia Mundi,
  Iuſſaque diſpoſitis aſtra nitere locis:
Et volucres cælo immiſſas, animantia terris;
  Scilicet & ſalſas piſcis amabit aquas.
Surget & ille Parens e cæno: ſceptra Parenti
  Afferet vna dies, auferet vna dies.
Qui ſatus, ante Patrem redijt in viſcera Matris:
  Pars hominum per eum tertia cæſa cadet.
Nabit & vna Domus, tot millibus vna ſuperſtes:
  Cæterea Neptuno naufraga Terra dabit.
Spem Generis, reduces animas, iam ſoſpes ab vndis;
  Mittet odoratis Pinus ab Armenijs.
Campeſtreſque domos, & rara mapalia Mambres
  Neſcia clarabit fallere vita ſenis.
Ah Puer, ah ſera fruſtra ſuſcepte ſenecta:
  Ah patrijs manibus victima danda Deo.
Parce, Pater: vepres inter tibi gratior hæret
  Hoſtia: parce pias conſcelerare manus,
Dum licet, inceſtas fuge carmen protinus vrbes;
  Sulphureo circùm fulminat igne Deus.
Heu fuge; dum Mulier cinefactas reſpicit vrbes;

Cor-

Corpore cum toto diriguere pedes .
Ille (licet lento) meliori carpitur igni ,
Ille tibi flamma nobiliore calet ,
Qui calamos paſtor labris percurrit hiantes :
Rachelem ſyluas qui reſanare docet .
Cortice qui fagi teneros incidit amores:
Cortice mox fagi quos inoleſſe videt .
Res amor ingenioſa. viden virgata colore
Vellera, paſtori conſpicuoſque greges ?
Venditus ignotas Puer abripieris in oras .
Heu dolor, heu cani vulnera cruda Patris .
Quid tua nunc pietas, regni quid ſomnia proſunt ?
En tibi pro patria ſede, Canopus erit .
Ne terrere tamen: non ſomni fallet imago .
Quo minimè reris, panditur orbe Deus .
Nam tibi regna dabunt; dederis quibus ante, ſalutem.
Reddita milleno fœnore iacta ſeges .
Rex eris, & Populi circumplaudente corona .
Ibis & auratis gemineus ipſe rotis .
Tuque Parethonijs Senior metuende Dynaſtis
Carmine diceris; tuque, Deuſque tuus .
Marmoris in faciem, fluctus mihi tollet Erythre:
Flebit Erythræas cum Mareotis aquas .
Et clangore tubæ, & tonitru cælum omne ciebo
Montis inacceſſi fulmina crebra canam .
Dona, Senex niueam propexus pectore barbam ,
Marmoreis Tabulis iuſſa notata feret .
Aethereæ ningent epulæ tentoria circùm .
Et pluet iniectæ grandinis inſtar Auis .
Occiduo currus reprendere iuſſus ab orbe ,
Immotus cernet prælia ſera dies .
Nec non in gyrum rauco procul ære ſacerdos
Ibit, & ad terram mœnia quaſſa ruent .

Tu quoque deſecto turbabis templa capillo
Ductor, & ob ritus millia multa teres.
Vda vides, en crede Deo, tua vellera rore:
Sicca vides, Gedeon, vellera crede Deo.
Rauca vocant (propera) tercentum bella tubarum,
Et tercentena fracta lagena manu.
Corporis immanem molem proſternet Ephebus;
Ter ſonitum circùm funda rotata dabit.
Murali quantus fragor inſonat ariete; tanto
Cum ſonitu moles corruet illa mihi.
Numen cuncta dabit: Salomon feliciter opta.
Auguror. Ingenij iam tibi dona placent.
Aurea dona tuæ Sapiens opulentia menti,
Et pariter laxas inſinuabit opes.
Ah pugnare Deo nunquam fuit, improbe, tutum.
Deſine quid, demens, impia verba tonant?
Vltima, prima metens, currus æquabit aratris
Qui ſupera vindex lapſus ab arce venit.
Numen tunc diſces non temnere barbare, cum iam
Fœmineæ formæ nobile nomen eris.
Indefletus agris, canibus data præda iacebis.
Agmina corripient exululata fugam.
Et ſi ſufficiant animi: ſi vita ſuperſit;
Ad tua deducam tempora, Numen, opus.
Ipſe mihi ſe ſe latè præpandet olympus;
Virginis ad ſedes Gratia tota fluet.
Cernuus Infantis cunas venerabor agreſtes:
Purimus inde faces eiaculatur Amor.
Tecta Charyſtæis ſordeſcent fulta columnis.
Præ cunis, Regum deſpicientur opes:
Protinus hinc Pharias exſul properabis ad oras.
Sæuiet interea barbarus ille nece.
Forma, Decor, Virtus creſcet creſcentibus annis:
Cre-

Creſcet Amor, creſcet Gratia, creſcet Honor.
Aurea diuinæ decurrent flumina linguæ:
Incrementa ſatis flumina pota dabunt.
Corporibus morbos, peſtes e mentibus ægris,
Tænarium pelles victor ab orbe canem.
Excitas tumulis animas mirabor, & ipſis
Iuſſa redire domum corpora ab exequijs.
Et niſi verba dolor præcludat; funera dicam,
Funera (me miſerum) non adeunda Deo.
Mœſta parentabit cæſo Natura Parenti:
Sidera, ſol, aër, æquora, ſaxa gement,
Non fractos Erebi poſtes, non Regna tacebo
Pallida, non Orcum; centimanumque Gygem.
Morte triumphata, præda Phlegethontis opimus,
E tumulo, ſeptus Patribus, exilies.
Tractanduſque tuis, agnoſcenduſque Parenti
Aſpicies clarum clarior ipſe diem.
Sidera per plantas, per & ambas ſidera palmas:
Sidera nunc, olim vulnera dira, geres.
Qualis gemma micat, quam circulus ambiat auri:
Candida vel medijs lilia mixta roſis.
Aut ebeno incluſum nigranti quale per artem,
Incenſurum olim lumina, candet ebur.
Talis & ipſe Patrum medijs in millibus ibis,
Altior inceſſu, clarior igne tuo.
Hinc mihi quantus eris! quantũ mihi Numinis inſtar
Illud erit, cum te victor ad aſtra vehes!
Aethere dein toto flammæ, linguæque micabunt:
Pandet & occluſas aura ſonora fores.
Turbine correpti maioris imagine facti,
Poſtibus erumpent ad pia bella Duces.
Nec mora diuerſæ torquebunt fulmina linguæ:
Et tuus illorum, Diue, triumphus erit.

Hæc ego non humili (faueat modo vita) cothurno
 Moliar: & quanto Pindarus ore tonat.
Mæonios quantùm numeros eructat Homerus:
 Carmina Virgilij quanta Maronis eunt.
Oſſibus o tantùm infixos euelle dolores.
 O medica tantùm vulnera tange manu.
Sin ego ne poſſim tantas attingere laudes,
 Obſtiterit, peius qui furit angue, dolor:
Ibitis o lacrymæ: ſuſpiria mæſta ſequentur,
 Humida dum nigra lumina nocte tegam.
Tunc mea quiſquis eris, qui clauſeris oſſa ſepulchro,
 Has precor in gelido marmore cæde notas.
Hic iacet extinctus: nomen ne quære, Viator.
 Neglectas Domini flebat amicitias.

DIVINI AMORIS

TRIVMPHVS

ELEGIA VII.

NEctite vincla pedes, & nectite vincula palmas:
 Pendeat & collo longa catena meo.
Sum Pueri noua pompa Dei, nec digna triumpho
 Pompa, nec Infantis nomine digna Dei.
Quis dabit in nexus palmas ad terga retortas?
 Quis Domino ſubdet libera colla iugo?
Acer amor (tantum quoniam tua fulmina poſſunt,
 Vt famulum cogant vincula ferre Deum)
Per tua tela, faces, & per tua tela, ſagittas;
 Ad tergum referas (ſum tua præda) manus.
Non ego, Diue, iugo ſubmittere colla recuſem:

At-

Atque triumphatos inter obire Viros.
Vinctus agar: mecum populi, tua pompa, ſequentur:
Ibis & auratis aureus ipſe rotis.
Ipſe, Puer, patrio ſpoliatus fulmine, nodo
Multiplici domitus, nobile nomen eris.
Illa geret Genitrix, Puero quæ vincula circùm
Læta dedit, poſtquam victus ab igne tuo eſt:
Et Puerum iuxta, caſto cum coniuge Virgo,
Flammea corda Deo, lumina fixa ſolo.
Ponè manus veniet tyrio ſpectabilis oſtro;
Lactea lactenti præda coëmpta Deo.
Ante triumphales ibunt longa agmina currus:
Ibit cum Dominis turba remixta ſuis.
Et qui corda tuo traiectus vulnere, vitam
Vulneribus multis cæſus ab hoſte tulit.
Et quem conſpicuum fecere ſilentia ſyluæ;
Dum putat eximium, poſſe latere, decus.
Et quos ingenio ſapiens opulentia clarat:
Et quos edocuit plurima ſcire nihil.
Ibunt indocti iuncti ſapientibus: ibit
Integra cum caſto fœmina iuncta viro.
Illa ferent iuuenes circùm monumenta locorum:
Illa ferent; victum quæ tenuere Deum,
Horrida congeſto fabricata mapalia culmo,
Virgineas curas, virgineoſque toros.
Nec non & Reges Nabathæo ex orbe profecti,
Conſpicui claro murice, dona gerent.
Turbinis in morem duplicata volumina telæ
Regibus incingent ſtemmata flaua comas.
Myrrhea ſint homini: ſint aurea munera Regi;
Munera ſint Arabum mellis odora Deo.
Sic plauſus inter populorum, Diue, ferere;
Qui niueos cogant ſæpe reſiſtere equos.

Et

Et tu quadrijugo vectus per compita curru;
Plaudenti populo vulnera multa dabis.
Tunc agitare faces; tunc exhaurire pharetram;
Tunc poteris terris imperitare tuis.
Ipſa triumphantis laudes in carmina pubes,
Et dabit ad raucas carmina læta tubas.
Victor io, bellator io: genitabilis ignis.
Numen io, terror dulcis, & aura Dei.
Bellipotens tu vincla Deo, tu ſæua tuliſti
Vulnera, tu pueri fulmen inermis habes.
Illud habes fulmen, quo tellus naufraga quondam
Aequoreis monſtris flebilis eſca fuit.
Et quod ſæpe ſuis vaſtauit ciuibus vrbes:
Quod Pharios olim cum Duce merſit equos.
Et quo ſulphurei ceciderunt nubibus ignes:
Concidit in cineres quo male nata ſeges.
Fulmine nunc illo, & patrio viduatus olympo;
Multiplici nodo membra liganda dedit.
Te didicit victore Deus geminaſſe querelas:
Et didicit lacrymis immaduiſſe Deus.
Tu Boreæ tenerum, tu duro proijcis antro.
Et facis ipſe tuas conglaciare faces.
Huc ades: & palmis, & collo necte catenas.
Quid pudeat, victi me comitem ire Dei?

De

De Pace conſtituta inter Galliæ Regem & Sabaudiæ Ducem anno MDCI. à Petro Aldobrandino Legato S. R. E. Card.

ELEGIA VIII.

HEſperiæ plauſus, & honoræ fœdera Pacis
Fabor, & e medio gaudia nata metu.
Roma, palatinæ frondis deſueta corymbis,
Ambiat ex olea plexa corolla caput.
Belligeras aliàs baccas: nunc indue Pacis.
Quod malles, idem munus vtrumque dedit.
Eloquio vicit, qui bello vicerat ante:
Nec minùs ingenio, quàm valet ille manu:
Gallia dicentem geſis exuta, minantem
Cuſpide, ſuſpexit ſubditus Eridanus.
Vnius eſt animæ duplex labor: vna laboris
Pax duplicis, merces eſt ſatis ampla Duci.
Vnica Pax lingua paritur, quæ fulmine dextræ
Quod dedit armatus, nunc dat inermis idem.
Roma faue, cultuſque nouos pro tempore ſume,
Qua licet: & verbis digere vota meis.
Sic tibi ſidereo Clementia fulta Senatu
Annuat aſtrorum Raſtra ſerena die,
Sic Vaticanum, ſubmiſſo turbine, limen
Odryſiæ Lunæ pronus adoret apex.
Auratumque tholum Romani præda triumphi,
Et pharetræ decorent, belliſonæque tubæ.
Sic iterum Latijs volitet Victoria pennis:
Et certata Nepos arma retractet Auo.
Quo reparet Pietas amiſſas crimine palmas:
Mox eat in niueis conſpicienda rotis.

Ex-

Explicet ante Duceſque, catenatoſque maniplos:
Quos ſeu Mæotis, ſeu Mareotis alit.
Auguror: hæc Superi curant. Iam Bactra recludunt
Vltima: gemmifera iam patet Indus aqua.
Iam Perſæ reſponſa petunt: iam claustra relaxant
Caſpia; iam muſſat Sithonis Aula metu.
Quod benè vertat: opes in fœdera iungite Reges.
Neſcio quid magni parturit iſta fides.
Væ tibi, carbaſeo qui turbine ſubrigis aſtrum.
Non bene (prædico) verticis hæret honor.
Sideris auſpicium ſeni feliciùs ardet;
Omine quo Lunæ cornua mœſta tremunt.
O mihi tam longæ ſi ſuppetat halitus auræ;
Quò videam Petri ſceptra recepta manu:
Rurſus & Iaſidas magnos iterare triumphos;
Biſque triumphato dicere iura mari:
Auſoniæque Aſiam, & Libien parere ferocem:
Et geminam Romæ ferre tributa Thetim.
Nec reor in longum? Princeps, hæc gaudia differs:
Ante meos cineres ſit tamen ille dies:
Romula quo patrum relegens veſtigia pubes
Tarpeio reddat priſca trophæa iugo.
Dum loquor: en poſito bellorum murmure latè
Acriſoni cantus conticuere minæ.
Aurea Pax reuolat caſtris emiſſa ſolutis:
Atque tuum, Clemens, deuolat in gremium:
Armenio qualis de vertice nuncia quondam
Poſt maris, & cæli miſſa columba vias;
Naufraga poſt hominum, poſt obruta ſæcla ferarum,
Ex olea pacis pignora læta tulit.
Qualis & Alcyone, ponti cum ſtrata recumbunt,
Et ſoboli præſtant æquora certa fidem.
Illa fluentiſonos ſcopulos, & littora circùm

Plau-

Pplaudit, & vſa ſuo tempore tuta volat.
At pater Heſperidum Tybris dominator aquarum
Lætius, & ſolito pleniùs amne fauet.
Eſt locus: oppoſitum qua gurgite Farfarus antrum
Verberat, & tortis tecta figurat aquis.
Penſilibus ſcabrum hic tophis teſtudinat arcum
Lympha loquax; fluctu ſaxa ſubeſa fremunt.
Pumicibus concepta cauis, ambage ſonora,
Et labyrinthæo murmurat vnda vado.
Deſuper implexi ramalibus, inſtar opaci
Fornicis, in ſcenam textilis vmbra viret.
Hæc Tyberi ſedes: hoc illi Curia tectum:
Amnibus hic ſenior reddere iura ſolet.
Huc Pater acciri populares imperat amnes.
Protinus acciti regia tecta petunt.
Nec mora fit: iuſſi muſcoſa ſedilia complent:
Officij præter publica verba ſilent.
Et niueis Clytumnus aquis miſſurus ad oras
Romulidum quondam candida terga boum:
Et liquidi voluens graueolentes ſulphuris æſtus
Albus, & abruptis Nar violentus aquis:
Et fremitu fingens Traſymenus amoena marino
Littora, Troijugenum ſtrata cadaueribus:
Tempore quo Latijs alpes immiſit apertas
Annibal, & furias vltor Agenoreas:
Et Cluſina palus, Tyberi grauis vnda: ſed illam
Oppoſitis Petrus temperat obijcibus:
Et vetitam campis ſtagnare licentiùs, alueo
Protinus egeſtis emoderatur aquis.
Et nomen perteſa vetus, per Roſia Clemens;
Nunc Clemens, olim Curia dicta, means;
Curia Clementis magno molimine Patris
Legitimo curſu ferre coacta pedem:

Amſan-

Amſancti colles quà florea rura coronant;
Glandiferumque premit limpha Velina ſolum.
Huc coit & Tibur lapidoſis Albula ripis,
Triſtior, & Naris gurgite peius olens:
Et paphias inter myrtos Digentia ſerpens,
Quà tacitum gelido frigerat amne nemus:
Vndaque Blanduſiæ Venuſino ſueta ſuſurro
Aemula Dircææ diſcere verba lyræ:
Vſticæque latex, vitreuſque Lucretilis humor,
Mirus Acidalijs texere prata roſis:
Aliaque, Aeneadum faſtis damnata nefaſtis:
Atque Acor, atque Acidæ gratus amaror aquæ.
Et Fabaris tectorum opifex, & flumen Himellæ,
Atque Almo adnatis glaucus arundinibus:
Populeaque Vſens texens vmbracula ſilua,
Amne nec audito murmura ſurda vehens:
Atque Anchiſiadæ fato veneranda Numici
Stagna Ducis, vulnus, Soſpes Iule, tuum:
Nec bene dum Tyberi doctus manare ſecundus
Implacidis Anio præcipitatus aquis:
Auſus & Albuneæ Lucum, decimæque Sibyllæ
Tundere, cumque Vrbis ſternere parte domum:
Regillique lacus, & paruis culta Bouillis
Egerie, & ſaxis ſæpe retentus Aces:
Atq; Albæ, atq; æſtus Nemoris, Tepulæq; Grauiſcæ
Omnigeni nutrix floris & Ancharia:
Et gelidæ Antemnæ, piſcoſa & Fucinus vnda:
Et ſeptem gemino flumine Cutiliæ.
Iuliaque, & Glabra, & Virgo, atque Aurelia: & olim
Aelia, nunc Felix, Claudiaque hauſta lacu:
Et centum ſinè laude alij, ſinè nomine fontes,
Humida plebs, celebrant ſcrupea tecta Senis.
Quos inter viridi velatus arundine crines

Iaſius

Digitized by Google

Iaſius Tyberis talia dicta dedit.
Cærulei ciues, quorum auxiliaribus vſus
Viribus, Oceanum ſub iuga noſtra dedi:
Quod liquor inuideat Simoëntis, & vnda Scamādri;
In melius verti Laomedontis opes:
Neſcio quid præter ſolitum Romana Iuuentus
Aldobrandino ſidere tacta calet.
Mens eſt officijs non cedere: plura daturus,
Multa dedit vobis ſideris ille vigor.
Nunc adeo inſtandum eſt votis: en ite ſolutis;
Ite vadis; verbis pondus ineſſe velim.
Irrorate noua latios aſpergine campos:
(Sic opus eſt) gemmis pingite rura nouis.
Allobrogum Pax alba fide nunc pectora nectit:
Finitimo Gallus nunc ſallet Allobrogi.
Sequana nunc Bæti, Rhodanus placatur Ibero;
Miſtus & vnanimi fonte Garumna Tago.
Nunc famulum electrū ſubdit Phaëthontius Amnis:
Lenis & Euphrates, lenis & Iſter abit.
Certate ingenijs, atque omni pube colorum
Plaudite: ſint meritis dona minora licet.
Quicquid Orontæo Cilices e littore carpunt:
Quicquid ab arboribus ſpirat Achemenijs:
Quidquid odoratus longè blanditur Idaſpes;
Artifici veſter fingat amore liquor.
Accedat ſtudijs operoſi cultus amoris:
Nullus Honor vilis, quem ſuus afflat Amor.
Dixerat. Effuſo repetunt cunabula curſu:
Imperijs inſtat Tybridis officium;

Qua

Qua occaſione Elegia, quæ ſequitur ſcripta fuerit opera pretium eſt cognoſcere ex Epiſtola quam italice Stephonius ad Valentinum Mangionium ſcripſit. Percurre, lector, & mirare hominis ingenium.

NOn lo diſſi io? che l'animo mio preſago di quel che potea auuenire, deſtò il timore e l'amore in ſua natural difeſa contro quell' accidente, che poſcia auuenne? Il dì ſeguente, che ſcriſſi a V. R. raccomandandole la memoria dell'amicitia antica, ſciolſi dal porto Napolitano verſo Sicilia. il dì era chiaro, quanto vno ſpecchio, E il Ciel qual'è, ſe nulla nube il vela, il Rouaio fauoreuole a chi fa vela verſo Meſſina, haueua già tre giorni continui valoroſamente mantenutoſi lo ſcettro dell'ondoſo mare; godendoſi ſenza contraſto il pacifico conquiſto di quel ceruleo e turbolento Regno: l'onde erano vguali diſugualmente ſpianate a punto, come i Nauiganti deſiderano, allor che Borea già ſtracca, e perciò più piaceuole ſcherza ſu l'onde sforzandole leggiermente, e ſdegnandole con increſparle ſolo e non altro. Nè era dubbio che la bonaccia fedele (ſe non che, perche il mare è ſempre fallace, ſtolto è chi gli crede) ci prometteua tranquillo e proſpero corſo, dandoci pregiaria il bel ſereno del Cielo. Montammo dunque in bon'hora, con mille bon'annuntij de gl'amici, che molti ci haueano accompagnati al molo, i quali diſcoſtandoci noi, da loro per lo mare, non di meno e con le beneditioni, e con gli occhi quanto loro fu lecito, ci ſeguitaro-

tarono, e l'onde quaſi che ammaeſtrate foſſero nelle ciuili creanze de gl'amici; per gratificar loro, rpian piano ci toglieuano dalla viſta dell'amica terra. Già il noſtro fragile & inſtabile ponticello haueca preſo dell'alto forſe cinque miglia, ſpinto per quel campo azzurro da vn ſottiliſſimo venticello, che ſoffiaua a ſeconda nella noſtra vela; già il pauimento fugace ſotto i piedi, sfuggendoci il bel teatro della Città di Napoli, che d'intorno come ghirlanda corona queſta famoſa Cratera, facca pompa e moſtra di sè quanto piu lontana, tanto piu bella, & a poco a poco ritirandoſi in dietro il lido, o per dir meglio dilungandoci noi da quello, poteuamo ſcorgere i ſuperbi palagi in terra humiliati a quel ſegno: quando di repente cominciò ad imbrunirſi il volto del ſole, e da borea ammainando il fauoreuole ſpirito; il mare d'improuiſo incalmoſſi; del che il noſtro Palinuro, huomo vecchio ed eſperto (quell'iſteſſo che da Napoli riportò a Roma il N.P.) molto marauigliandoſi con vn profondo ohime, diſſe, eh, che nouità è queſta? non mi piace; & ſorrecchiando hor'in queſta, hor'in quella parte intento, ſe da qualche luogo poteſſe accogliere alcuna vena o ſuſurro di vento; ne ſentendo pur'vn minimo ſoffio; che ſi, diſſe, che queſto ſilentio attende le noſtre ſtrada? a pena il diſſe; eccone vna coſa veramente ſpiaceuole. In vn tratto ricoprirſi il Cielo d'vna minacciosa caligine pregna di pioggia, e lampi, la quale come ſgridar ne voleſſe, nè del tutto ſdegnoſa ancora, e pure bruſcamente crucciata ci rappellaſſe al porto, tornando, balenando: piouizzicando prima lieuemente, con la pioggia quaſi ci attrauersò la ſtrada

di

pi procedere piu oltre, con lampi ci moſtrò la via di tornare in dietro, con tuoni come con gridi, ne minacciò di caſtigarci, ſe non l'obediuamo. Poſcia vie piu ingroſſando con l'abordarti acque, che ne versò di ſopra, bagnò noi e le ſarti in modo, che ſdrucciolando queſte dalle preſe, ſi turbaua ogni buon'offitio de'Marinari, e ſi gettaua al vento ogni fatica. Che piu? quel foſco aſpetto di due elementi tanto infidi, tanto turbati, ci tolſe da gli occhi il Sole, l'allegrezza dal cuore, e poco meno che la ſperanza di proſpero ſucceſſo; e pure il mar di ſotto ſenza ſentirſi trauerſia di contrario vento, per gran pezzo di tempo come olio non ſi moueа, ma ecco che prima oſcurato, poi intumidito, poi piu fieramente rabbuffato, poi ſmoderatamente ſenza che foſſe ſpinto da vento alcuno, gonfio e diſdegnato, ſpezzoſſi con onde queſte a quelle contrarie, & a mano a mano con volubili monti a mille a mille, ſpinſe e ruppe le acque ſpumanti allora mi ſouuenne quel che nel ſuo occulto timore diſſe il noſtro Coſtantino:

Inſtat procella fœda, cum vento tument
Tranquilla nullo maria.

Nè hauendo per l'adietro mai hauuti o veduti ſimili incontri marini, mi tenni per Profeta; con hauer ſi aggiuſtatamente deſcritto quel che già mai non ſeppi per proua; Erauamo già vicini alle bocche dette di Capri, paſſo formidabile, all'hor che il mare è piaceuole, non che, turbato; quando l'occulto nemico manifeſto comparue nella Lizza ondoſa, queſto era il diſpettoſo Lebeccio, che ritolto lo ſcettro al Rouaio imperuerſaua tanto piu rabbioſamente, quanto piu il ſuo tirannico dominio per la

no-

nouità con ſoſpettoſa geloſia ſi volea far forte; qui parue che il pratico noſtro Vecchio ſi perdeſſe del tutto; ed io che dal ſuo ciglio andaua prendendo augurio di quel che ſi doueſſe o ſperare o temere, vedendo manifeſti ſegni in lui di diffidenza e dubbiezza, temei al ſuo timore, e con la ſua diffidenza non i ſconfidato reſtai, nè perſo, ma priuo di ſperanza di dare quella notte a terra, e di hauer commodo ripoſo, coſa da me ſommamente temuta, e mille volte replicata, prima d'imbarcarci, che ſi fuggiſſe per gli ſcommodi grandi, che ſi sogliono patire nelle ſpiaggie deſerte, ed egli congetturando dal mio volto l'occulti miei penſieri, e rammentandoſi delle ſue molte promeſſe, e de gli ſcongiuri fattigli da noſtri Amici, che haueſſe riguardo che io non patiſſi, preuenne il deſiderio e parlar mio; e diſſe; Padre io non poſſo hoggi mantenerui la parola, hauendo a riſpondere per queſto moſtro fallace & infido, l'vſcire ſtaſera a largo dalle bocche non è poſſibile, il voltare la prora ad alcuna di queſte parti e prender terra, o in Sorrento, o Vico, o Caſtell'a mare, o Maſſa (queſto è il promontorio di Minerua detto da gli antichi, poſto a rimpetto dell'Iſola di Capri, detta Capria, doue il ſoſpettoſo Tiberio Imperatore, a detto di Tacito, ſoggiornò confinato volontariamente dodici anni) per molto che ci affatichiamo, non ci riuſcirà; che l'onde frezzate e fra di loro contrarie non pigliano corſo certo e ſeguito, ſi che ci potiamo aſſicurare di non vrtare in quelle roccie, altro partito piu ſicuro non vedo, che il voltare a dietro. Che ſe bene gran vergogna è de' marinari e ſi ſtima fra noi per coſa infame, il tornare lo ſteſſo dì nel porto, donde ci partimmo; non di meno

no a me è piu cara la vita ſua, che la mia fama; veda ella hora quel che ſi debba fare; piu oltre ſenza manifeſto pericolo non ſi puo guadagnare vn paſſo. A queſto dire gl'altri marinari piu arditi contradicendo all'vtile conſiglio di coſtui; non ſarà mai vero, diſſero, che hoggi per tema del mare ſiamo burla de marinari in terra; e ciò detto oſtinatamente a forza di remi ſi ſpingeuano auanti; ma che? il temporale era troppo fiero Signore, e la fortuna del mare troppo gagliarda, che non ſi toſto il dubbio legno ſi era ſpinto innanzi vn palmo, che la buffa, e l'onda lo ribalzaua in dietro, cento. In queſto, eccoti vna furia di vn turbine tanto rapace di vento e d'acqua con vn cigolare di ſarti & vrli del fiero mare accordato; che vna due, o tre, volte in vn batter di ciglio come sferzato paleo girò la prora la ve era la poppa, & queſto fianco a quello ſucceſſe, con attuffarſi nell'acque piu che mezza vela. O Gieſù, diſs'io, aiutaci, & auuoltatomi la falda del mantello a gl'occhi, aiutai l'oſcura notte del giorno, sforzandomi di ſcoprire qualche ſcintilla di luce dell'eterna vita, e ſperanza in Dio: e le affermo, che non mai mi trouai ne piu vicino alla morte, nè meno timido al morire; ſolo queſto ſcrupolo mi rimordeua, che troppo leggiera era la cauſa, di laſciare la mia vita nel mare, la quale doueua eſſer reſa, per cauſa piu generoſa a Dio, & in impreſe piu honorate & importanti, che da vn pelegrinaggio e diporto come quello. Pur queſto ancora ſi andaua colorendo con qualche ragioneuole riſpetto; ſouuenendomi il biſogno con la debita raſſegnatione propoſto, e trattato con chi doueua. In tanto il Vecchio, il quale da douero ſi moſtrò amoreuole, e ſi portò

da

da Galanthuomo a quel paſſò: gridando e con imperioſo tono; o là a chi dico io? voltate la prora in buon'hora; che vergogna è coteſta voſtra, che temiate le riſa de'Marinari, non vi curiate delle lacrime de voſtri domeſtici? e ſe pur pure vi torna il morire in acqua, a voi non mancherà mai l'occaſione di perderui, queſti buoni Padri, & in particolare queſto mio buon Poeta raccomandatoci da tanti Signori e Padroni noſtri, che ha meritato egli che per voſtra cauſa debba annegarſi? voltate dico la prora a Napoli, e riponetimi in terra queſti paſſaggieri. Ciò detto, egli preſo il timone, e gl'altri marinari la vela e la prora. Allora mi parue, o ſu realmente così, che tutte le ſirene d'accordo, e tutte le Ninfe Crateridi e Sebetidi, e Drimo, & Xanto, & Ligea & Phillodocea.

Cæſariem effuſam nitidam per candida colla

Et Niſſè, e Spio, & Talia, & Cymodoce, & Cidippe, e la bionda Licori.

. . . . Altera Virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores,
Clioque, & Beroe Soror, oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ,
Atque Ephire, atque Opis, atque Aſia Deiopeia.
Et tandem poſitis velox Arethuſa ſagittis.

Paruemi, dico, che vnite inſieme mi ſparaſſero vna ſolēniſſima fiſchiata. E di ſopra dalle fineſtre arioſe del Cielo tutte le Nubi di Ariſtofane affacciateſi a quel grido, ci fecero altri fauori, come ſi ſuol fare in queſti tempi al corſo coſtì, quando vi ſi và in maſchera, & il fauore fu, che ne tirorono tante e tante voua piene d'acqua a doſſo, che da capo a piedi era tutto molle. Manco male che in queſte ſtrade non

vi era fango, dubito, che ſe vi fuſſe ſtato, ci haurebbono trattato da Giudei. Pure vi ſi trouò vna Ninfa corteſe, come dicono, vna di quelle che dalle naui di Enea ſi voltò in ſuora di Galatea; queſta come amica de gl'Amici di Vergilio, voltata la noſtra prora verſo il porto, diede alla poppa con vna leggiadria e deſtrezza mirabile vna ſpinta *non ignara modi*, da quella forza allenato il noſtro legno (o ſtupore).

Qual di Cidonio neruo, od Arabeſco
Pennuto ſtrale ci lanciò nel porto.

Et io ſmontato in terra tutto frollo e ſmarizzato, riuoltandomi a dietro e facendole di berretta (volſi dir) di Cappello le feci vn baciamano ſolenne, dicendole a Dio. Poi per la piu corta tutto riſtretto e raccorciato m'inuio verſo il Collegio ſu le 23. hore di giorno, non ceſſando in tanto la pioggia, che già ne venia a ſecchi, e la terra ci fece buono il fango, che non potè darci il mare. Ritornato mi poſi a letto, non tanto per la ſtracchezza quanto per li miei dolori inaſpriti per il patimento di quel dì; Hebbi mercato di trouarmi a Caſa de noſtri quella ſera, che ſe altroue mi foſſi trouato; Iddio ſa, che coſa foſſe auuenuto, io certo tenni il ritorno per vn grandiſſimo fauor di Dio.

Segnai il giorno, & diſſi, hoggi rinacque
Mia vita, poco men che ſpenta in acque.

Queſto fù il primo di Febbraro, il dì innanzi la Purificatione della S.V. giorno mio particolarmente priuilegiato per l'Entrata e Profeſſione mia nella Compagnia. Hor mi trouo sbattuto aſſai in Napoli, riſentendomi fin'hora della mala ſcoſſa. Eccole vna lettera tutta poetica, la cagione è che quan-

quando mi venne voglia di ſcriuerle mi trouò in tempra di Poeſia, e che ſia il vero legga la ſeguente Elegia fatta in riſposta di due Epigrammi ſcrittimi nel narrato caſo: e ſono queſti.

Paulus Aemylius Pugnatarus ad P. Bernardinum Stephonium cum Neapoli Meſſanam ſoluens inimica tempeſtate reiectus eſt.

Sicelis exoptat Vatem ſibi Muſa Sabinum;
Auferri gremio Parthenopæa dolet.
Inter Sicelides, inter Sebetides orta eſt
Cauſa Deas, iudex Iuppiter eligitur.
Illa refert. Reliquæ Vatem videre ſorores
Spretane ſola tibi Nympha Peloris erit?
Hæc contra: teneo, & foui prior ipſa Poëtam;
Si non qua meruit, qua tamen arte fui,
Nauiget. hæc ſumma eſt, reſpondit Iuppiter. hic ſol
Eſt Vatum. cur non omnia luce beat?

Aliud.

Audijt hoc poſtquam noſtrarum ſacra ſororum
Moeſta Cohors, inquit, lux mea, mene fugis?
Iuppiter eſt æquus? ſaltem proh Iuppiter hoc des,
Des lacrymis raptus poſſe dolere meos.
Tum fudit lacrymas; fudit ſuſpiria. nymbos
Concitat, & turbant, qui freta noſtra, Notos.
Vidit, & arriſit, proh! fraudem. Iuppiter infit
Parthenope eſt bellis inſidiata dolis.

Diſcorda coſtui da me in queſto ſolo, che egli dice che furon lacrime delle Ninfe quelle che mi bagnarono; & io dico che fu acqua ſchietta, della qua le erano piene l'voua che dalle fineſtre mi gettarono a doſſo le Nubi di Ariſtofane; poiche videro

che io non era Commediante, ma Tragico; ſe bene ne nomi Ariſtofane e Stefonio ci è vn non ſo che ſimilitudine, la quale; fu cauſa piena d'errore, dubitando elle che il ſuo Poeta non pericolaſſe, e poi di ſdegno verſo di me, poiche videro che non era Ariſtofane quello che era fiſchiato, ma io. Son voſtro, voſtriſſimo, a Dio: mi vien voglia di metter mano ad vn'altro foglio, ma non porta la ſpeſa, a Dio.

BERNARDINVS STEPHONIVS S. I.

PAVLO AEMILIO PVGNATARO

De ſuo pene naufragio

ELEGIA IX.

NEc Iouis arbitrium tanti (ne finge) nec Aequor
  Paule, nec æquoreas dixeris eſſe Deas,
Aſpera quæ dudum poſſent concire procellis
  Cærula; me vobis cum retulere Noti.
Ingenium me lene tuum, me dulce leporum
  Concilium, mites me retulere ſales:
Et tua, blanditijs Vatum molliſſima Syren;
  Eius & in noſtro pectore fixus amor.
Tum meus illecebris auelli neſcius iſtis
  Indelibatæ ſenſus amicitiæ:
Protinus hanc legem mundo ſtatuiſſe recenti
  Fertur, & immota conciliaſſe fide.
Cum Deus informem rerum cælauit aceruum,
  Inque rudi pictum mole notauit opus.
Vt ſtabili ſeries compage cohæreat aptè,

Et

Et variæ maneant in ſtatione vices.
A medio leuiora volant: grauiora reſidunt
In medio: ſumma ſplendet in arce iubar.
Diſſociata locis ſimili pugnantia textu
Implicat affinis corpora prima vigor.
Nam viget ingenitus rebus ſocialis, & hæret
Diſpoſiti vindex ſemper honoris amor.
Nec vacui quicquam patitur, nec lege ſoluti:
Præſidet, & certo fœdere cuncta ligat.
Nonne vides celeri coëant vt quæque recurſu;
Si procul a patria diſſiluere domo?
Aſpice, quo pacto furit obluctata cauernis
Flamma, peregrino fortè retenta loco.
Saxa volant eliſa: labant conuulſa ruinis
Oppida: terra ſinu collabefacta tremit.
Ne temerent elementa fidem; temeraria fiunt:
Fœdus vt inſtaurent, ſeditione trahunt.
O Felix mortale genus; ſi mutua nectat
Pectora, qua Mundum lege coërcet Amor!
Ardet anhela ſilex vt ferri ſenſit amores:
Et trahitur ſilicis tactus amore chalybs.
Quid, niſi quòd ſimiles ignes ſuſpirat amicè,
Cum ſtipulas flauas ſuccina gemma rapit?
Vis eadem, ſyluis. alnis adſibilat alnus:
Adſtrepit agnatis iuncus arundinibus.
Adſita pinetis fœtu palmeta graueſcunt.
Sunt quoque qui palmam nubere vere putant.
Caſta quidem nubunt Hymeneo lilia verno:
Vere ſuum ſpirant connubiale roſæ.
Quid pictę volucres? quid ſquammea ſęcla natantū?
Cetera quid, terris quæ gradiuntur? amant.
Ad ſimilem non ante natat murēna colubrum,
Quàm vomat abſimilem, qua nocet ille, lucem.

Quæ ſugit accipitrem,& miluum paucſacta rapacem,
Chaonium ſequitur blanda columba gregem.
Iunici iunix,adludit capra capellæ,
Et ſonipes acri lætus adhinnit equo.
Hinnulus hinnuleis,agnis adiungitur agnus:
Aſſequitur toruam torua leæna leam.
Maior ineſt homini taciti conſenſus amoris;
Quo venit ad ſimilem quiſque trahente ſui.
Lenibus arrident lenes,& mutua miſcent
Gaudia,cum certam ſigna dedere fidem
Mutuus alternis animus coniuct, & vltro
Altera pars animæ ſemper vtrinque coit.
Nec natura prius faciles conſpirat amores;
Quam morum ſimiles extulit illa notas.
Omnibus hic adeo rebus reſpondet amandi
Senſus, & occulto fœdere vulnus alit.
Neſcio quid certè veſtris e moribus hauſi;
Quo genius neſcit ſponte carere meus.
Conueniunt placida faciles ex indole ſenſus.
Me rapit & totum vindicat illa ſibi.
Ah dixi quoties, animis cum plena ſecundis
Finderet inſidium noſtra carina ſalum:
En vbi ſum fidis demens auulſus Amicis?
Creditus heu ventis,quo feror? vnde feror?
Et mihi ſit tanti monſtris famoſa Peloris,
Atque illaudato ſciſſa Triquetra mari?
Vt prælata suo,Crateri,ſerarur,amori,
Iudice me, tanto non adeunda metu?
Tam fragili vectus ventoſa per æquora cymba
Partenopem fugio, Sicaniamque ſequor?
Doris, & Alphæum fugiens Arethuſa ſequentem:
Et redimita iugis Enna coloriferis:
Et nemoralis Erix,ſertiſque recentibus Hyble;
No-

Nomina ſunt vatum nobilitata iocis,
Scyllaei fremitus, & inextricata Carybdis,
Et Lipare alliſis irrequieta vadis;
Et Taurominij flexus & ſaxa Pachini
Nomina ſunt vero nobilitata metu.
Plurima ſunt ponto, ſed plura pericula terris;
Nauifragæ ſemper ne timeantur aquæ.
Hic ſpecus Aeolium, ſedes hic fœta procellis
Semper, & emotæ murmura Trinacriæ
Hic & inexhauſtis exæſtuat Aethna caminis,
Sulphureiſque globis illiquefactus ager;
Non feſſi vapor Enceladi, nec anhelitus ille eſt:
Terra ſed exuſto ſpirat anhela ſolo.
Scilicet occultis rimoſa meatibus hiſcit,
Intus, & inſtrato ſulphure ſqualet humus.
Tum prædelaſſas incumbens vndique cautes
Verberat iratis arbiter Auſter aquis.
Ecce ſinus tumet ex alto: circumſona latè
Vapulat vndoſo ripa retuſa ſalo.
Spiramenta fremunt ſulcatos acta per artus;
Stridet & immiſſis fiſtula cœca notis,
Nec mora: materiam rapit incita flamma flabellis,
Semen in occulto ſulphure nacta facis:
Sic vbi flammato clareſcunt ignea ſulco
Nubila, cum labi ſidera nocte putas.
Aut vbi per ſtipulas equitat cita flamma ſonantes,
Cum validi flatus incubuere Noti.
Aeſtuat ignis edax: graueolentem fœda mephitim
Trinacris expirat: ſaxa ſubeſa ſonant.
Nec requies, quin hauſta prius cum murmure vaſto
Fumida vis liquidi viſcera montis agat.
Hinc ruit: et ruptis torrentia ſaxa cauernis
Euomit accenſo vortice flumen olens.

Digitized by Google

Heu male tum cultis parcunt incendia campis:
Tuta nec hoſpitio terra, nec vnda fugæ.
Ne mihi ne verò veniat tam dira cupido:
Numina non adeo ſunt inimica mihi.
Vt minima mercede mei tot monſtra paueſcam:
Tot male concordi nexa elementa fide:
Terrarum labes: ventorum prælia; flammæ
Pumiceos æſtus: ſulphura torta vadis:
Exitijs infame ſolum: luctantia clauſtris
Flamina: liuenti rura vadoſa lue:
Et coniuratas in publica damna procellas:
Ex terræ clades, aëris, ignis, aquæ.
Diſſidium credas ordiri velle vetuſtum,
Cum Calabrum fugit terra dirempta latus.
Quem latet, vt quondam laxis fornacibus Aethna
Obruit vndante pinguia culta face?
Cum pater Amphinomi laſſà ceruice pependit,
Dulce onus, inque humeris ſedit, Anape, tuis.
Mira quidem vobis ceſſit reuerentia flammæ,
Læderet exempli ne documenta noui.
Forſan & ipſa ſuæ quamuis non inuida laudi,
Prætulerit vobis Trinacris vſta nihil.
Non ideo damnoſa minus natura locorum
Vaſta redundantem torquet in arua luem.
Nouimus & Catanæ luctus, & ſtrata liquenti
Sulphure templa, domos, compita, rura, fretum.
Quin & in immenſum campis creuiſſet apertis
Deuia ſucceſſi vis inamoena iugi;
Obuia ni flammis Agathæia pepla ferentes
Verſa retro peſtis deuenerata foret.
Reſtitit vnda rubens obiecto Numine Pallæ,
Scilicet, & duris flammeus agger aquis.
Ad caput alta tamen gliſcunt incendia nitro,
Rur-

Rurſus & in venis ſtyx violenta furit.
Aethnæ Diua potens toties tua torrida frænas
Sulphura, quæ Catanen ſæpe vocata tegis:
Cum penitus tabis poſſis reſtinguere cauſam:
Cur potius mauis hunc ſupereſſe metum?
Anne feros hominum mores terrore coërces?
Hæc ideo præſens ſit medicina feris?
Neſcio quos certè Polyphæmos inſula iactat.
Fabula, ſed veri fabula ſemen habet.
Cui metus officium iuſſit, nec ſuaſit, honeſtæ,
Hunc ego conuincam laudis habere nihil.
Pulchri caſtus amor male cogitur: imperat vltro:
Mens bona nulla venit, ſi qua coacta venit.
Ah valeant, irata quibus natura minatur:
Et quibus auxilium quæritur exitio.
Mitius ingenium nobis Digentia finxit:
Non facit ad mores Terra Sicana meos.
Me patrij myrteta ſoli, me garrula doctæ
Mollius educunt murmura Blanduſiæ.
Daunia quà Dircen fidibus meditata latinis
Aemula plectra tuis, Pindare, pene dedit.
Lubrica quà puris electra Lucretilis vndis
Non dubitat veris antetuliſſe Pater.
Qua gelidus trepidat ſinè fine volubilis humor;
Pictaque mobilibus rura coronat aquis.
Per Paphias myrtos fugiens, per amœna roſarum
Parua licet. Romæ grata, tributa vehit.
Hæc ego, ſi liceat, placidæ componere vitæ
Otia, vicinæ neſcius Vrbis, amem,
Sit modo fas doctè Venuſinum tangere plectrum;
Et caput intactis inſeruiſſe roſis.
Vt Mandela meo tumefacta ſuperbiat olim
Carmine, non vni dedita, Flacce, tibi.

Angulus ille mihi nunc præter cætera ridet .
E Charitum cultu non habet ille nihil .
Roſia Nympharum nunquam caritura corollis ,
Roſiæ blandiſonæ proxima Blanduſiæ
Vtilis ingenijs,& alendis nata Poëtis :
Tarquinio nimium facta ſuperba meo .
O vbi nunc docti luſtras cunabula Vatis ?
Proxima Callimachi temperat ille modis .
Non ideo contende iugis, ridenda,beati
Pauſilipi,hunc omnes excoluere Deæ .
Quæ canis hic docte,tunc ſunt peritura,Lucreti,
Exitio terras cum dabit vna dies .
Aeneis e Priami buſtis hic Roma reſurgit :
Hic rediuiua ſuo Troia renata rogo eſt .
Silius ad manes pernox,aramque Maronis
Perfurit hic oeſtro Conſul Agenoreo .
Iuratumque Ioui facinus,cladeſque Sagunti
Vertit in Heſperios, Sydonioſque Duces .
Hic Aquilis Aquilas,& pila minantia pilis
Contulit inde Socer, contulit inde Gener .
Hic iterum plectro Cadmeias Surculus arces
Condit : vt Amphion condidit ante Chely .
Nixa Sophoclæo Thymele Romana cothurno
Hic tetricos Senecas extulit vna duos ,
Hic ſeris Heſperidum,ſed non vigilanda draconi
Poma,nec orta Midæ Iouiniane manu :
Actius hic Partus æternæ Virginis edit .
Hic parit ille lyra,quod parit illa ſinu .
Hic iterat numeris exorſa Capycius orbis ,
Et Cythara Carum vincit,& Empedoclem .
Et meus hic aliquid meritus de luce theatri
IVLIVS in tragico Syrmate maior obit :
Optima Syrenum,Dryadum pulcherrima,Vatum
Par-

Parthenope blandis exhilarata modis;
Ten potui demens, aliquid ſperare, relicta?
Vt fragili ſequerer ſaxa Sicana rate?
Quid ſi non placidis æquiſſima moribus eſſes?
Omnia nec circùm tacta lepore forent?
Vitrea te lenta Crateris adæſtuat vnda:
Te tua prætexto læta corona mari.
Quam ferrugineo Nais pulcherrima cultu
Accolit, & glauca Phillodocæa coma.
Cydippeque, Ephyreque, Lygeaque, Cimodoceque,
Cæruleoque tumens Deiopæa ſinu.
Atque aliæ, quarum non eſt efferre Sororum
Nomina, te nunquam deſeruere Deæ.
Centum quæ Colles, centum quæ littora ſeruant,
Humida gens Dryadum, gens & Amadryadum.
Quas inter facili per culta nitentia flexu
In mare Sebethus flumina pura trahit.
Et quo te cantu, quo te gelidiſſima dicam
Nomine Sebethi deuia Limpha lacu?
Mille per anfractus ad munia mille ſequacis
Inſinuas Vrbi fuſiſe munus aquæ.
Sanguinis humani quo ritu, flumen, adactis
Multifidum venis, corpus in omne fluit.
Lydus vt ambiguo Mæander voluitur æſtu,
Et labyrintæo circuit arua ſinu.
Haud aliter docilis fluctus ambage liquenti
Spargere Syrenum mœnia nympha ſubit.
Et varios ludit curſus, varioſque recurſus;
Flumine perque domos didita, perque vias.
Elatæ contra Capreæ ſtridentibus auſtris
Frondiferi obiectent ardua ſaxa iugi.
Hic, vbi Romuleæ dominator tertius Aulæ
Omnia Seiano dilaceranda dabat.

Interea ipſe ſui,& Patriæ malus hoſpes, & hoſtis
Liquitur in longo tabidus exilio.
Et votum ciuile trahens,animamque nocentem
Librat in ancipites regia iuſſa metus.
Quid ſua Roma pati,quid tellus extera poſſit;
Improbus in medijs tentat & exul aquis:
Taurubulæ iuxta virides, & ſacra Mineruæ
Culmina lunatis exſinuantur agris.
Pollius hinc vertex,vbi ſpreta vxorius Hoebe
Creditur Alcides rurſus iniſſe thoros.
Parthenope tunc pulchra Deo denupta marito,
Exuta piſcis parte,refecta Dea eſt.
At fœdaſſe dapes ſponſalia ſacra Veſæuus
Dicitur, erepta coniuge acerba fremens.
Non erat ille biceps ſæuo cum ſaucius igni;
Torſit in inuiſos arida ſaxa thoros:
Vertice ſed bifido tunc primum viſus,vt acres
Pectoris egeſti detimuere minæ.
Hactenus ob thalami raptos exſæuit honores,
Cætera non Aethnæ monſtra Veſæuus alit.
Nam quid ego memorem Ponto Neſida natantem,
Et nemoroſa breui ſaxa recincta vado?
Vel dum pampineis inuitat Oreadas antris,
Et vocat ad feſtas officioſa dapes.
Vel dum Syrenum ſpectat de rupe Napæas
Ducere per Glauci ſpumea regna choros?
Nec te tranſierim tumulo,Miſene,iacentem:
Ex quo Baiarum littora curua legunt,
Qui Prochytē liquere breuem, impoſitamq; Typhœo
Ambitam egelidis fluctibus Inarimen.
Quo feſtum rapis Icarijs eliſa racemis
Vina Maronaeo Gaure,dature lacu?
Lesbia te propter carcheſia, nulla moramur,

Con-

Condita nec Chio feruida dona cado.
Palmite te Limon geniali conſitus ambit,
Euboicumque latus, Calcidicumque nemus:
Te Lucrina palus, te Cumis addita Phlegre,
Iulia Linterni te redimita lacu.
Belli fulmen vbi fractum, Tyrioſque triumphos
Scipiadum nollet Annibal ipſe tegi.
Salue, Gaure parens, & tu placidiſſima ſalue
Nauſragio, Syren, penè recepta meo.
Hic ſinus. hoc cælum nobis geniale renidet:
Hæc animum arcanis nexibus ora trahit.
Hinc famam ſperare licet, nomenque ſuperſtes
Oſſibus; hic oriar maior ab exequijs
Huc referor, quo ſponte feror ſeruatus ab vndis
Audiat hinc famam vaſta Triquetra meam.

AD. P. FRANCISCVM TEMPESTIVVM MONTEFALCI AEGROTANTEM

ELEGIA X.

Ecquid vt alternos obiecit Epiſtola verſus
A Bernardino creditur eſſe tuo?
Ille quidem tuus eſt: ſacris ille oſcula palmis
Mille tuis figat, mille iteraſſe velit.
Et cupiat notas audire, & reddere voces:
Et ſolidos tecum conſociare dies.
At mihi Cecropij moles adeunda laboris
Aut venit, aut humeris verius illa ſedet:
Et ſedet, & puram nullam ſinit ire ſalutem,
Pectore ſed ſpinas dura Minerua ſerit.
Vt nec amicitiam numeris expromore poſſim;

Scribere nec Socio liberiore nota.
Quin etiam vt nunquam poſſim lenire querelas;
Diceris, heu, feſſus decubuiſſe toro.
Pagina nec nobis veniat latura ſalutem,
Leniat aut curas officioſa meas.
Nec tractare licet calamum, nec fallere tempus,
Scribere nec ſocijs mutua verba tuis.
Inuida quid vetita pomum decerpere ſylua,
Auſa Parens Natos in tua damna trahis?
Inuida te propter morborum ſemina nata,
Te propter breuior Mortis aperta via eſt.
Crimine victa tuo Franciſci corpora languent.
Atque hæſere toro crimine victa tuo.
Quàm bene viuebant tenero tunc orbe, priuſquam
Noxia tractauit poma timenda Parens!
Non macies, non pallor erat, non arida febris:
Scilicet inſani cauſa nec vlla metus.
Non medicas adhibere manus, herbaſque ſolebant:
Non quæcumque malis corpora feſſa leuant.
Non niſi qui Filios annos, viridemque iuuentam
Poſt ſenium poſſet reddere, ſuccus erat.
Ah vetita, ah nunquam tetigiſſes poma Virago:
Vſa fores forſan commodiore cibo.
Nunc mala tot rapuere gradum, victique querelis
Frangimur & celeri Mors venit atra pede.
Et cum tot pellant herbæ de corpore morbos;
Cum venit lethum, pellere nulla poteſt.
An tibi nunc macies pallentes occupat artus?
An notat exanguis pallida membra color?
An trahit inſomnes noctes mens ægra, cubantis
An verſata toro corpora quaſſa dolent!
Diua, tuum Ciuem, natalem & reſpice ſedem,
Quæ colis æthereos intemerata toros.

Cuius

Cuius vt exemptam veneramur crimine mentem
Corpora ſic tumulo non labefacta vigent
Cuiſſedem,& lucem, vigilemque ſacrauimus ignem
Huc ades,& Ciuem reſpice,CLARA,tuum
Sæpe tibi meruit ſacras operatus ad aras:
Sæpe tibi fudit ſupplice voce preces:
Sæpe tuis fertur ſupplex prorepere templis:
Oſculaque in ſacro figere ſæpe ſolo.
Sæpe Puer ſolitus tumulto dare florea ſerta;
Curſauit ſanctos & tener ante pedes.
Diua adſis: laus magna tibi reddatur,in vno
Corpore ſeruato,demeruiſſe duos.
Ipſe ego thura dabo ſupplex altaria circùm:
Ipſe feram ante tuos munera vota pedes;
Adijciam & titulũ. *SERVATO GRATVS AMICO*
Tu modo da titulo muneribuſque locum.

CORONAE

BEATO ALOYSIO GONZAGAE

AMARANTHIS.

IMmortale Puberum donum ex tuis laudibus tibi quæſitum,tuum eſto,ALOYSI GONZAGA, Iuuenis olim integerrime,nunc etiam beatiſſime,beneficentiſſimeq. Pietati & Puberum ſtudijs admirantium virtutes tuas adſis e Cælo bonus, ac felix. Sic indoles tua mentis accepta Templis,vigeat ſemper in animis hominum, in memoria temporum, in ſacrorum faſtis,in moribus Poſterorum.

CO-

Digitized by Google

CORONA I.

MVnus ALOYSIO geminū: quod iuncta repoſcit
Gratia Virtuti; Gloria redde ſoror.
Floruit ex vero Virtus haud ſegnis in illo:
Floreat ex æquo muneris aura tui.
Fama per & terras, per & Aequoris arua profundi
Diſſita, quà ſolis fulget vtrumque latus.
Laudes texe libens, Nympharum maxima, texe:
Quas ſerit, & Iuueni quas Amaranthis alit.
Debita Virtuti merces ea: debita famæ.
Gratia quod poſcit, Gloria, redde ſoror.

CORONA II.

DEbita virtuti merces ea debita famæ.
Gratia quod poſcit, Gloria, redde ſoror.
Non hoc immerito. noſti quo munere ſummi
Patris ad exemplum traxerit ille decus,
Vna Deo natura boni, nec mixta, nec aucta
Partibus: at ſimplex: indolis ipſa ſuæ.
Hic quoque quà licuit primis intactus ab annis
Conſtat in ingenua Virginitate ſibi.
Sit Summo licet illa minor; res proxima ſummæ eſt,
Ingenuam Pulchri non temeraſſe notam.

CORONA III.

SIt Summo licet illa minor; res proxima ſummę eſt
Ingenium Pulchri non temeraſſe notam.
Proxima, nec facilis ſinceri ſancta Pudoris.
Laurea cui multo ſplendet in ære domus.
Dulce malum, caſtis inimicum, blanda Voluptas,
Ne perimat, pereat pauperis ante fores.
Quatenus ah facinus mixtum babylone venenum
Splendida fert Circe Diuitis vſa manu.
Pectus Aloyſij quantum Pudor acer obarmet;
Integer eſt index Spiritus inter opes.

CO-

CORONA IV.

PEctus Aloyſij quantum Pudor acer obarmet;
Integer eſt index Spiritus inter opes.
Caſtus Amor Pulchri, quem totum vindicat aſtris
Caſta fides nullis tacta cupidinibus.
Mirus Amor Pulchri, medio de fonte leporum
Gaudia qui triſti miſcet amaritie.
Sanctus Amor Pulchri: qui ne quid amaret, amauit
Omnia primæuæ legis ad arbitrium.
Primæua qui lege poteſt ſe reddere cælo:
Hunc ſimilm verè dixeris eſſe Deo.

CORONA V.

PRimæua qui lege poteſt ſe reddere cælo;
Hunc ſimilem verè dixeris eſſe Deo.
Incolumis recti tenor, illibatus amorum
Senſus, & in caſto pectore caſta fides:
Et gauiſa metu ſuperum reuerentia: & ordo
Obſequij certus, certus, & arbitrij:
Ingenijque ſagax in dulci flore iuuentæ
Impetus a iuſto non abijſſe gradu:
Gloria non hominum, ſed Diuum iure vocetur,
Ad caput ex ſimili docta redire ſuum.

CORONA VI.

GLoria non hominum ſed diuum iure vocetur,
Ad caput ex ſimili docta redire ſuum.
Cum ſacro de fonte ſacer prodiret in auram
Cælitus afflatæ lucis Aloyſius:
In Pueri vultu vultum Sapientia veri
Fixit, & ad Superos; Hic meus, inquit, erit.
Mox placitura ſibi, roſeo circumdata nymbo,
Artifici vultum finxit amore ſuum.
Moribus & mores expreſſit, & ignibus ignes
Contulit. Vt ſimiles vidit! Amauit Amor.

CO-

CORONA VII.

MOribus & mores expreſſit,& ignibus ignes
Contulit.vt ſimiles vidit!amauit Amor.
Inque ſuas immiſit opes,habiturus habentem:
Et ſibi,quòd iuuenem fingit,habetque;placet.
Ducitur ex voto veræ Probitatis imago:
Artificis nutu viuere docta ſui:
Numine res geritur placituri ſemper Amoris.
Libera res.Dominos lex habet vna duos.
Omnis ad Ingenium ſenſus formatur amici:
Quod probat ille,probat:quod negat ille,negat.

CORONA VIII.

OMnis ad ingenium ſenſus formatur Amici;
Quod probat ille,probat:quod negat ille,negat.
Nil rigidum impatienſque ſui, nil numinis expers
In Iuuenis facili corde relinquit Amor.
Talis in arcanos permanat viuidus artus
Halitus,humani corporis oſſa regens.
Talis in ancipites Mæander flectitur vndas:
Quà labyrintæis arua figurat aquis.
Voti ſumma Deo Deus eſt; ſe quærit & vnum.
Extra quicquid agit,quo ſibi plaudat,agit.

CORONA IX.

VOti ſumma Deo Deus eſt: ſe quærit & vnum.
Extra quicquid agit,quo ſibi plaudat,agit.
Quod dedit effusè repetit. Teſtatur id illi
Eſſe prius caſti ſenſus Aloyſij.
Cuius in ingenio dum geſtit ludere: ſe ſe
Luſit,& aſſeruit nobilis Auctor opus.
Læta ſuo,Natura Boni,nihil indiga noſtri;
Nulla niſi magno fœnore dona locat.
Cuncta Deum mirer Iuueni tribuiſſe benignè!
An reliqui Iuuenem nil habuiſſe ſibi?

CO-

Digitized by Google

CORONA X.

CVncta Deum mirer Iuueni tribuiſſe benignè ?
An reliqui Iuuenem nil habuiſſe ſibi ?
Miror vtrumque equidem; cantare paratus vtrumq;
Sic vtinam poſt mortis vtrumque ſequi.
Quod datur: alterius id redditur: vna duobus
Quæritur in medium gloria: velle datum.
Diſpare ſed cenſu reddenti cuncta ; dat alter:
Alter vt hoc poſſit reddere; cuncta rogat.
Laus hærede recens. Quod laude paciſcitur hæres;
Credit ſponte Deus, ſoluit Aloyſius.

CORONA XI.

LAus hærede recēs. Quod laude paciſcitur heres.
Credit ſponte Deus, ſoluit Aloyſius.
E Virtute redit Virtus, e munere munus:
Et noua reddendi cauſa, dediſſe fuit.
Semina quo ritu poſito de ſemine ſurgunt.
Mutua ſic numquam gratia degenerat.
Acceptique, datique fides Amore laborat:
Foenora ne ſortem multiplicata premant.
Nil ſociale perit. Ratio reſpondet abundè:
Cum geminas tabulas conficit vnus Amor.

CORONA XII.

NIl ſociale perit. Ratio reſpondet abundè:
Cum geminas tabulas conficit vnus Amor.
Solus Amor ſoluit debendo, ſolus habendo
Impetrat: hac Iuueni ſtat ratione fides.
Et licet haud virtute pari certetur vtrinque;
Foenoris eſt inſtar multus Amoris Amor.
Plura petat, qui multa poteſt debere: Merendi
Muneris eſt ratio, commeminiſſe dati.
Munere vincit Amor. Si munere vincit Amoris;
Hoc bene debenti credere cuncta potes.

CO-

Digitized by Google

CORONA XIII.

MVnere vincit Amor: ſi munere vincit Amoris:
Hoc bene debenti credere cuncta potes.
Non mea per dubias ludit ſententia voces.
Officijs explet nomina magna fides.
Veri certa fides nullo diſcrimine nutans,
Quæ iuueni curas miſit in omne decus.
Siue quid eſt patriæ reddendum, ſiue quid hoſti;
Reddit, & ex pleno pectore debet Amor.
Iam dormi, Gonzaga, tuos ſecurus amores.
Debitor es Caelo? ſoluis. Amaris? amas.

CORONA XIV.

IAm dormi, Gonzaga, tuos ſecurus amores:
Debitor es Caelo? Soluis. Amaris? amas.
Nil æquæ pronum: quam quoduis, velle: vel aptum:
Ingenij curſum quam potuiſſe ſequi.
Natus in id faciles curas impendis Amori:
Pabula ſed flammæ ventilat iſta Deus.
A cunis dilectus amas: nec inhoſpita Coelo
Corda geris: veri quæ ſibi Diua ſacrat.
Numinis hæc ductu ſunt: hæc Numinis aura:
Velle quod eſſe potes: poſſe quod eſſe velis.

CORONA XV.

NVminis hæc ductu ſunt: hæc Numinis aura:
Velle quod eſſe potes: poſſe quod eſſe velis.
Qualis, vt igne chalybs incanduit: igneus vltrò
Igne calente calet: igne rubente rubet.
Qualis, vt in Pontum Tyberis vectigal aquarum
Intulit: & nomen perdit, & Amnis aquas:
Talis Aloyſius natiui pectoris expers,
Nec ſuus, in mores Numinis omnis abit.
Quò tuus ille vigor, Iuuenis lectiſſime, ceſſit?
Hoſpitis ah venas ebibit Hoſpes Amor.

CO-

Digitized by Google

CORONA XVI.

QVò tuus ille vigor, Iuuenis lectiſſime, ceſſit?
Hoſpitis ah venas ebibit Hoſpes Amor.
Quid tantum iuuat, acer Amor, traxiſſe ſequentem?
Atque animum, atq: animam quid populaſſe iuuat?
Imperij nimius nimium ne læde furentem:
Ille tuam prædam lædit, & ipſe tuam.
Cur toties oculos lacrymis humectus, & ora
Sanguine diſtringit lora cruenta ſuo?
Quid facerent victis crudelius hoſtibus hoſtes?
Quàm vereor, caſtè ne ſit amare, mori.

CORONA XVII.

QVid facerent victis crudelius hoſtibus hoſtes?
Quàm vereor, caſtè ne ſit amare, mori.
Aſperitas in Amore placet, quo fœta Voluptas,
Supplicijs nulli, quàm ſibi, ſæua nocet?
Nil ſomni, vinique vices: nil grata laborum
Otia, nil ludo fallere ſueta moras.
Cura recrudeſcit gradibus diſtincta doloris,
Non ſpatijs: Pœnas aſperat ipſa quies!
Dulcis Amor vis eſt, & dulcis, nomen Amoris
Dulce: locum reperit cur in Amore Dolor?

CORONA XVIII.

DVlcis Amor vis eſt, & dulcis, nomen Amoris
Dulce: locum reperit cur in Amore Dolor?
Vt video, de ſtirpe ſua non iſta leguntur
Poma: nec iſta ſeges ſemine nata ſuo eſt.
Inſitione vigent. cum ramum ramus adoptat
Sylua peregrinis frondet operta comis
Mox mirata nouos alieno ex germine fœtus
Degrauat autumno robora curua ſuo.
Inditus eſt Iuueni Chriſti Dolor, inditus ardor.
E Cruce ſumpta mouet tela Doloris Amor:

CO-

CORONA XIX.

INditus eſt Iuueni Chriſti Dolor: inditus ardor.
E Cruce ſumpta mouet tela Doloris Amor.
Ille docet largo vultum corrumpere fletu:
Ille docet rubris pingere terga notis;
Omnibus e venis tepidos deducere riuos;
Omnibus e membris pœna renata iuuat.
Cortice ſic Arabum manant opobalſama rupta:
Sic ægris miſſo ſanguine vita redit.
Multa laborantem ſolatur, multa dolentem
Empta labore quies, empta dolore ſalus.

CORONA XX.

MVlta laborantem ſolatur, multa dolentem
Empta labore quies, empta labore ſalus
Blanda quies: Vaſtos animi quæ temperat æſtus.
Viua ſalus: robur quæ iuuenile regit.
Blanda quies: riuo quæ nectaris irrigat artus:
Viua ſalus: viuit cuius in ore lepor.
Blanda quies: feſſum quæ dulci protegit vmbra:
Viua ſalus: per quam ſpirat honoris Amor
Blanda quies: caſtum quam ſuadet inire Voluptas:
Viua ſalus: caſto quam parit igne Deus.

CORONA XXI.

BLanda quies: caſtũ quam ſuadet inire Voluptas:
Viua ſalus: caſto quam parit ipſe Deus.
Nam iuueni per vtrumque Deus, nomenq: decuſq;
Explicat & curas, lumina & ingenij.
Quo viget æternæ florens in luce iuuentæ
Mentis honeſta quies, cordis honeſtus amor.
Præſentemque Deum præſens ſuſpirat, vt abſens:
Potus & e largo flumine fontis hiat.
Optime Rex Regum languentem reſpice: nec te
Subtrahe; ſi languet ſaucius igne tuo.

CO-

CORONA XXII.

OPtime Rex Regum languentem deſpice: nec te
Subtrahe; ſi languet ſaucius igne tuo.
Sed quibus exanimis fulciri floribus optat:
Largus odorati ſuggere veris opes.
Largus & autumni miſero pometa reclude:
Vtilis a pomis ille odor eſſe ſolet.
Ah furit: ah perit igne tuo. iam cordis anheli
Immodicas flammas leniat aura recens.
Dum loquor: aura recens, ſyluæ libanitidis aura
Sibilat: & flores, o Amaranthi, legis.

CORONA XXIII.

DVm loquor: aura recens, ſyluæ libanitidis aura
Sibilat: & flores, o Amaranthi, legis.
Aduolat, & ſtudio iuuenis prouecta legendi,
Accinit ingenij cetera turba modos.
Et lepor, & niuei mores, & copia linguæ:
Mitis & aſſenſus: dulcis & oris honos.
Quos inter Vatum genitrix fæcunda Voluptas
Mobilibus citharam peruolat articulis.
Altera pars Charitum Iuuenem colit: altera laudat.
Pingit & illa genas: pangit & illa modos.

CORONA XXIV.

ALtera pars Charitũ Iuuenẽ colit: altera laudat.
Pingit & illa genas pangit & illa modos.
Hæc ait. o Voti felix menſura paterni:
Nominis o magni gloria prima Puer:
Heroum ſoboles: ſpecimen prædulce leporum:
Cæli cura recens, Prædaque digna Deo.
Quem tantum terris oſtendi muneris inſtar
Eximij fuerit; nec licuiſſe frui.
Dum numerat laudes: annos non cenſet olympus:
Eripuit Iuuenem: te ratus eſſe ſenem.

BER-

BERNARDINI STEPHONII
CARMINA LYRICA

IN PRAESENTATIONEM B. M. V. PROTREPTICON
HENDECASYLLABVM PHALEVCIVM

PVpa trimula, mollicella Pupa;
Terræ diuitiæ ſuperiores,
Cæli delitiæ beatiores,
Omnium decus elegantiarum,
Omni nectare delibuta Virgo.
Pupa bellula, pupa margaritum.
Acris flammula pectoris rigentis:
Lenis aurula cordis æſtuantis,
Flos, Virguncula, delicate florum;
Viui roridulæ roſæ lepores;
Lucis aurula, corculum Decoris:
Tæda primula primulorum Amorum;
Aura primula primulorum Honorum:
Tymbra gratior, Indicoque coſto:
Atque amaracini liquoris aura:
Virgo ò delitium Iuuenculorum;
O ſolatiolum Iuuencularum.
O medullula pura Pupa mellis,
O columbæ amabiles ocelli
Cæli ſideribus nitentiores:
Cæli lætitijs venuſtiores.
O amabilitas amoenitaſque

Mo-

Morum, o lautitiæ, elegantiæque:
Omni munditie decens Venuſtas:
Omni lætitia affluens Honeſtas:
Vitæ præſidium. preces Parentum:
Voti ſumma beata: pompa laudum:
Dei gaudiolum; Dei Sacellum:
Integellula cælitum voluptas:
Pupa trimula, delicata Pupa,
Nam quo, Pupa, meas venuſta? nam quo?
Vix hærens ſatis artubus tenellis?
Matris vix bene mammulis remota?
Vix dum certa pedum mouere greſſum?
Vix primæ articulans ſonos loquelæ?
Templum Pupa petis? tenella templum?
Quod es tute Deo, requiris ergo?
Dei gaudiolum, Dei ſacellum,
Extra quin etiam docenda quæris,
Qua formere manu, quibus magiſtris:
Aſperis ſtudijs colenda poſthac
Cuſtodum arbitrio ſeueriorum:
Per te ſcita ſatis, ſatis decora.
Tute docta ſatis tui magiſtra:
Caſtæ moribus educata Matris:
Sancti legibus inſtituta Patris:
Et iam laudibus vtriusque maior
Optimi Patris, optimæque Matris.
Pupa trimula mollicella pupa:
Ah victura procul domo paterna:
Cunarumque iocis, crepundijsque
Procul blanditijs ſoriarum,
Procul ſuauiolis domeſticorum.
Ne ceſſa tamen integella: perge:
Dei gaudiolum: Dei ſacellum:

Quo te cumque vocat Parentis aura
Cæleſtis : properè ſequemur omnes .
Quicquid eſt hominum decentiorum,
Quicquid Virginei eſt vbique floris :
Sequenturque greges Puellulorum
Acres , flammeoli , citi , ſuperbi ,
Mites , aureoli , probi , modeſti ,
Suaues , lacteoli, decentulique
Regi te duce dona reddituri :
Iam nunc Cæciliam Puellam : magnam
Iam nunc Perpetuam , Vrſulamque cerno :
Agnetemque , Agathamque , Luciamque ,
Theclasque , Eulaliasque , Barbarasque ,
Et te Flauia , Margarita teque ,
Cerno te Catherina : te Suſanna :
Et quot poſt alijs erunt in annis
Tibi , qua pote , proximæ Puellæ ,
Tuarum illecebrarum honore captæ
Toto pectore perditæ ſequentes .
Harum tu glomerata , Virgo , coetu
Tympaniſtria Tympaniſtriarum :
Vt , cum Cynthia ſiderum minorum
In noctem nitidum recenſet agmen ,
Et choros dabis , & dabis choreas
Bis ſenis radiata tempus aſtris ,
Et Solis relegens per aſtra ſyrma :
Perge trimula , delicata perge :
Et mentis memor , indolisque primæ
Auge diuitias ſuperbiores :
Auge delitias beatiores :
Quas in nos ſupereffluens refundas :
Nam non tota tibi , Puella , nata es :
Pars eſt prima tui dicata cælo ;

Pars

Pars eſt altera dedicata terris:
Tibi tertia pars relicta, Virgo, eſt.
Imò tota Deo, Puella, ſurgis:
Imò tota venis Puella terris:
Imò tota tibi Puella nata es:
O felix nimium: o beata Pupa:
Dei gaudiolum: Dei ſacellum:
Integellula cælitum voluptas:
Pupa trimula, mollicella Pupa.

IN DIEM
ANNVNCIATIONIS B: M. V.

DITHYRAMBVS.

HIc Deus eſt. comitata Deum natiua Voluptas
Impulit ingenuo præcordia turbida ſenſu.
Et libet, & ſuadet terris innoxia Virgo
Reddita moerentes animo detergere curas.
Hoc iuuat. hortatur melior noua gaudia Mundus.
Omnia pacis eunt, vbi formoſiſſimus aurea
Luce ſerenatum pateſecit Delius orbem.
Omnia ridenti ſubrident ſidera cælo:
E præmaturos interſcripſere colores
Gramina, non primo vernantia parciùs æuo.
Floris acidalij rubor, & ferrugine tactæ
Luteolæ calthæ, deuexæ flore modeſto
Pallidulæ violæ, nec non dedoctus amores
Ipſe ſuos prima Narciſſus pube ſuperbus.
Nec minus arcano partu nemus omne graueſcit.
Flora nitet, Pomona tumet: melioribus illa

Floribus; hæc gemmis: Aries quas elicit aiiicus,
Autumnoque ſuo maturat Virginis Aſtrum.
Flumina iam mellis, iam flumina nectaris vndant:
Nunc niuei lucent ſoles, nunc turgida ſidunt
Aequora, nunc volucres nubũt, nunc præpete terram
Sithoniæ lapſu radunt propiore volucres,
Paruaque veſtigant paruis cunabula natis.
Gaudia non ſoliti moris præcordia tangunt,
Carmina non ſoliti moris præcordia tangunt,
Carmina non ſoliti moris præcordia fundant.
Micat attonito corde voluptas,
Vt non ſolito contenta modo,
Sic non ſolito contenta ſono.
Ita ſit: pronis effluat vndis.
Laudabunt alij labentia ſidera cælo,
Perpetuo famulata recurſu:
Dædala vel nihilo producti mœnia mundi:
Aut molem telluris inertem,
Sunt quibus ingenium teneant cingentia terras
Aequora, ſidereamque ſuburgens
Flamma domum, aut vacuo commiſſa tonitrua cælo.
Hic pluuias, & nube caduca
Fulmina miratur, pecudes, pictasque volucres.
Plurimus & genitalia rerum
Semina muſæo meditatur carmine Vates.
Pars ſtupet & miracula Virga,
Atque parethonium centum vulgata per orbem
Prodigia, & Mareotica rubro
Agmina merſa freto multis miranda videntur
Marmoreis inciſa tabellis
Iuſſa quaterdena tandem poſt luce Tonantis.
Præcipitis canit ille diei
Solis ab accubitu victoris voce reprenſos

Cur-

Currus, ad ſpectacula cædis.
Me nec tam teneri tetigerunt ordia mundi,
Nec faciles reuocatus ad oras
Per medios hoſtes nomen ſortitus Iüdæ:
Quàm Deus, & victoris Amoris
Vulnera, qui ſummo Numen deiecit olympo:
Matronæ quàm Virginis ora:
Quàm quibus illecebris ad ſponſæ vota ſequacem
Traxerit illa Deum, quibus aſtra
Contulerit terris: niueæ quam lactea Matris
Viſcera: quam fulgentia Diuæ
Lumina iucundùm. Virgo dum Numine fœta
Non caperet ſua gaudia; tales
(Numinis infantis ſenſu labefacta medullas)
Narratur fudiſſe loquelas,
Binas iuncta manus, oculos deiecta nitentes.
O Deus, o mea gaudia, Nate,
Nate Patris ſummi, Patris inuiolata poteſtas;
Et ſapiens opulentia cæli:
Tene Deum terris viſendum? tene fruendum
Dedideris mortalibus ægris;
Vindicis oblitum dextræ? Te ſidera tandem
Terris poſthabuiſſe cruentis?
Qui varia magnum depingis imagine Mundum?
Qui rerum moliris habenas,
Aurea qui cæli, qui terræ florea tractas;
Spumea fræna maris reſonantis;
Lucis honor, formæ ſpecimen, Genitoris Imago;
Flamma, vigor genialis, & aura;
Qua calet ipſe Pater? qua Diuos vris amando?
Ordinibus ſincera beatis
Gaudia qui fundis plenis labentia riuis?
Proh violenti vulnus amoris!

Proh flammæ documenta nouæ! proh dulcia vitæ
Gaudia! Te tua, magne, voluptas
Obruet, inducet geſtis obliuia rebus.
Te Dominum deſueta vocare,
Horribiles laudes ætas dediſſet amando;
Et Patrem, Diuumque vocabit.
Virgo, quæ tenero perfrueris Deo,
Quem nunc læta foues; quæ tibi gaudia?
Nam quos fingis honores;
Diuino ebria Numine?
Et forſan ſuperis te mediam choris,
Miraris, Genitrix, & caput aureum
Aſtris inſeris aureis,
Et calcas pede ſidera.
Heu verſas quoties flebiliter dies,
Mutatasque gemens tot decorum vices,
Suſpirabis amoris
Dulcis vulnera triſtia!
Cum multo tumidum verbere videris
Latè ſanguineum ponere verticem, &
Nigra nocte granatum
Collum quadrifida trabe.
Quas non mœſta modos cum lacrymis dabis?
Externata malo corda medullitus,
Acri fixa dolore,
Quæ tu vulnera neſcies?
Dices, heu quoties: huncine te meum?
Heu lux, heu quid habes illius? illius,
Qui ſplendore fugauit
Noctem, qui ſuperum choros
Terris explicuit; qui mihi languidis
Diſſoluit tenerum pectus amoribus?
Qui cor, qui mihi ſenſum,

Qui

Qui me ſubripuit mihi?
Mens quid agis? crudos animis auerte dolores:
Afferet iſta dies: certos, ne præcipe, luctus.
Nunc lætitiæ comes ingenuæ,
Melius ludes ludente Deo,
Geminis oculis iaculata faces
Viuamque genis infuſa roſam.
Vertice gratum ſpirat amomum
Patrio cælo lapſa Voluptas:
Seque per auras, ſeque per vndas,
Seque per Orbem molis inertis
Pede veloci leuis inſinuat,
Teneroque rigat blandula ſenſu
Oblita grauis corda timoris.
Citat interea Gratia, Caetum,
Niueos humeros exſerta, comas
Reſoluta, citat læta Sorores,
Reſtimque datam trahit Aglaia,
Trahit Aglaiæ nexa Thalia,
Nexa Thaliæ trahit Euphroſine;
Comes Euphroſinæ ſequitur Virtus.
Amor inducit choream caſtus,
Gaudia caſtus diſſoluit Amor.
Ille iugales ire columbas
Iubet, aurato reſidens curru,
Quoſque tepenti ſole colores
Nepheles clemens educat aſtrum,
Floribus ipſis melior dominus,
Curru vectus præterit aureo.
Humero crines ille refuſus
Prouocat aurum verticis auro,
Impedit auro verticis aurum,
Gemmea baltheum fibula mordet:

Digitized by Google

Roſa depingit diſperſa comam.
Candido errantes humero capillos
Vndulat flatu Zephirus procaci.
Audin? arguto modulata plectro
Carmina flectit.
Gaudia cælum
Parturit orbi,
Vnde ſonorem
Edidit æquor?
Vnde reſultat
Vocis imago?
Vnde micantes
Concutit ignes
Mundus? & orbis
Aſtra tremiſcunt?
Non tamen æther
Bella minaris.
Nulla timebis
Funera tellus:
Gaudia cælum
Parturit orbi:
Quæque beatis
Fundit alumnis
Larga Parentis
Dextera, Terris
Prodere geſtit.
Limen Olympi
Cardine verſo
Euomit aruis
Agmina pictis:
Gemmea pubes
Ordine longo
Luce coruſca

Nu-

Nubila tangit :
Et ſua noſtro
Diuidit orbi
Munera Virtus :
Inque Puellam
Congerit vnam
Quicquid abundat
Fuſiùs Aulæ .
Læta propinquæ
Signa ſalutis
Audijt æther ,
Audijt vnda ,
Audijt vdo
Corpore tellus :
Nulla timebis
Funera tellus .
Gaudia Cælum
Parturit orbi .
Quò quò , diue , tuum rapis
Vatem ? quò celerem mente vocas noua ?
Quod laudes nemus audiet ,
Me tangente fides , acer amor , tuas ?
Dicam Numen imagine
Mortali latitans , inſolitum , nouum ;
Indictum mediter decus ?
Fulgentes oculos vel ſolitum ſupra ?
An mixtas niuibus roſas ?
Tædas ex quibus igneas
Late victor amor proferet , & Deo
Vret pectora mutuò ?
Vt lætos oculos Numinis , vt iuuat
Mirari tenerum decus ?
Vt , qui vultus amat lubricus aſpici ?

Vt riſus faciles Dei?
O vultu nimium parce potens, potens
Pectus ſoluere, ſeu face
Malis, ſeu lacrymis. Dulce periculum eſt;
O feſtiue tuo emori
Percuſſum iaculo fige medullitùs.

IN NATALEM CHRISTI D.N. NOCTEM

PERVIGILIVM

TROCHAICVM HIPPONACTEVM HYPERCATALECTICVM.

Cras amemus, o ſodales: cras amaſſe ſit neceſſitas.
Cras beatè, vt nunquam amabimus, beatè ſi vnquam amauimus.
Cras Amoris in nos ortus, & triumphus in nos ingruet.
Dextra Patris cras inermis igne vulnerabit mutuo.
Vena vitæ cras ſequetur: Prima cras amice Veritas
Nos adire, nos docere, nos beare coram geſtiet.
Cras amemus, o ſodales: cras amaſſe ſit neceſſitas.
Nunc habere, nunc haberi pulcritudo gaudet plurimum
Hinc Honeſtas, & Voluptas: Iris inde ducit ferias.
Aſtra ſubter hinc perennat carne clauſa Sempiternitas.
Cras beatè, vt nunquam amabimus, beatè ſi vnquam amauimus.

Ille

Ille Dux honoris, ille dædalææ lucis Artifex;
Sedis vſum mutuatus nocte naſcitur precaria:
Nec pudet: quod alget Infans, vita Cælitum, ſplendor Dei.
Nube tecta virginali in nos reſinat Cæli Regiam
In ſalutē Bethlemæa fruge iam lacteſcens caritas.
Vnde vires, vnde laudes: vnde pura florēt gaudia.
Diſſoluta iam vocari, quā benigna mauult Gratia,
Quæ per aſtra, quæ per auras, quæ per vrbes largè didita
Melle cælum, melle terras, melle corda mulcet aſpera.
Cras amemus o ſodales: cras amaſſe ſit neceſſitas.
Cras recūbet in geniſtis fœtus aureus Puerperæ,
Virginale pignus Virginis: ſoluta quā nō caſtula,
Prima vis Amoris implet: prima lex maritat Numinis.
Cras beatè, vt nunquam amabimus: beatè ſi vnquam amauimus.
Nil dolenti nunc puerperæ aduolat Voluptas obſtetrix.
Palpitanti nunc Amori texta iunco dat cunabula
Hoſpitale Brumæ frigus: hoſpitale tectū frigoris
Integellis de papillis cras coloſtra ducet lacteo
Concolor Puellus vberi: Triūphalē ſic victimam
De niuali rore Virginis ſaginat Nutrix Caſtitas.
Magnus Hæres cras Dauidis ad bouile ludet ruſticum:
Deſueſcat vt timeri, ruſticari geſtit Paruulus.
Iura dicit, credo amandi; nec faces laudat tricuſpides.
Cras amemus, o ſodales: cras amaſſe ſit neceſſitas.
Cras inermis igne vindici dat obligādam faſcijs

Innocentulamq; dexteram ſiniſtellamq;innoxiam:
Dulcè plorans,dulcè ridens, dulcè preſſans Matri
vbera.
Cras beatè,vt nunquam amabimus:beatè ſi vnquam
amauimus.
Vagientis ad fruteta lachrymoſa vox Infantuli
Regiam Nili Puellam cras ſeueritatis patriæ.
Dedocebit turgidas iras: inhoſpitalem & Cau-
caſum:
Allegendus e quaſillo nec timetur vltor ſcirpeo:
Vltor ille non timetur clade nobilis Mareotica.
Cras amemus o ſodales: cras amaſſe ſit neceſſitas.
Opprimenti cras Erythræ damna rerum, damna
corporum
Seruulus reponet Vnicus ſinu educatus regio:
Regiamq; ſubditosq; ſtrage vertet inteſtabili,
Orbitates vt rependat, & ruinas lachrymabiles.
Cras beatè,vt nunquam amabimus:beatè ſi vnquam
amauimus.
Aureo refuſus ſole, ſuſtinendi nulli luminis,
Ex Dei ſerenus igne(mille parcat vt ſpectãtibus)
Luminoſa legũ conditor præumbrat ora linteo.
Ductor ille vinci neſcius,lubentis arte Dalidæ
In ſinu ſequens ſoporem:languidusq.delicatulè
Exuendã crine ſtrenuo dat immemor ceruiculam.
Rore vellus en madeſcit:rore ſicca dũ sũt cætera.
Rore vellus en ſereſcit: vda rore dũ ſunt omnia.
Fictili lumen lagenæ bellicoſus Heros inſerit.
Cras amemus o ſodales: cras amaſſe ſit neceſſitas.
Monte derotatus arduo:at reciſus nullis viribus
Ille vaſtus e lapillo victor in cælum ſurgit Lapis:
Derutaque Regum mole Regna Mundi ſolus oc-
cupat.

Cras

Cras beatè, vt nunquam amabimus; beatè ſi vnquam amauimus.
Pacis index hic oliuat fœderata Cælo Liuia;
Mentibus receſſe fluctus: depluiſſe cælum nunciãs;
Læta in Arcã fert oliuam picta pennas, ore punico:
Iri, Pacis author, Iri: læta læti Cæli nuntia:
Luce textum diſcolori, ſume peplũ: ſinde nubila.
Regna per Quirina perge: dulce Pacis fœdus percute:
Pacis obſidem beatæ dic habere iam Terras Deũ:
Quod vides: Mapale Olympo prætuliſſe dic Infantulum;
Quem ſalutis, & quietis ſponte pacta comitatur fides:
Hæc per agros, hæc per Vrbes, (crede) nõ ingrata diſſeres.
Rite cõgregem Iuuentam ſub mapale coge iunceũ;
Quæq; primo, quæque ſummo, quæque ſole fulget deuio.
Cras beatè, vt nunquam amabimus, beatè ſi vnquam amauimus.
Hinc amandi Prætor ad bouile Amor nouum indixit forum:
Efferata frenat ora laude patria Patris lepor.
Nos Amori, nos Pudori, nos amicat Innocentiæ.
Ah mapale Principem Regum, ah quietis almæ Conſulem,
Nũciũ Mẽtis paternæ de tot Vrbiũ vna millibus
Hoſpitẽ Ciuẽ receptat, & boræo obiectat flaminĩ
Floſculorum an dulce Sidus, elegãtiamq; ſiderum.
Cras amemus, o ſodales: cras amaſſe ſit neceſſitas.
Inter hæc licet tremiſcat; aſtra rumpat & fletu Puer:

Huc

Hac euntibus ſalubriter ſuauiandus, oſcula
Multa Matri, multa Patri, multa diuidit ſodalibus.
Mentiar: niſi ille Amoris acrius perit de ſpiculo.
Igne quanto proh Puellum Amorem Amor Gigas tranſuerberas?

Cras beatè, vt nunquam amabimus beatè ſi vnquam amauimus.

Dum loquor, rigentis anni bruma ſolis æſtiuat fide:
Qua fide pendent ſereno: qua rigent niues de nubilo.
Blanda lex Amoris iuſſit feriari cæli murmura:
Frigus ingẽs feriari lex Amoris haud iuſſit tamẽ.
Temperator ille ſiderum: Imperator ille temporũ
Ponit auras: ſternit vndas placat hiſpidas Euri minas.
Non aquas de lõgulis tamen vetat ſuſpẽdi ſtirijs:
Imbricumq; de labellis imminere brumã penſilem:
Amnibusq; fontibusq; congelatas necti compedes.
Cernitis? Tutũ per æquor fœta nidulatur Alcyõ.
Ver ſuum memor repoſcit, prolis vt ſemen ſuperſtitet:
Inter Auſtros, inter Euros, inter Vrſæ ſumma frigora:
Strata ſicubi reductis vnda parcit incunabulis:
Sicubi Actam littorale nunc adulat marmor vltimam:
Igne quanto proh Puellum Amorem Amor Gigas tranſuerberas?

Cras amemus o ſodales: cras amaſſe ſit neceſſitas.

Noctis ignes Veſperugo prima dẽſo ducit agmine:
Aſtra nunquam tam ſerena, nec tot vnquam cinxerunt Polum.

In

In Theatrũ turba maior iſſe creditur Cæleſtium:
In Choræas explicata plaudit Aula Teſquis Paruuli:
Luce quo beatiore conſuſurrent feſta gaudia:
Teſte quo frequentiore copulentur ſacra fœdera
Præter ignes vna cæteros Specu imminet Sol æmula:
Dux amica; fax Amoris ſplẽdidã latè fũdit comã:
Anteitq; quarta luce quicquid Infans pinxit luminum.
Qualis inter cæruIos flores, roſarum flagrat purpura.
Quale florum purpuras inter niuale ſplẽdet liliũ:
Qualis ipſe Paruus inter vnus omnes paruos emicat.
Illa tæda certa Amoris fixa certo conniuet loco:
An morantes increpat, citatque? Nam ſupra modũ
Luce larga rorat auras: igne dulci pectus irrigat.
Cras beatè, vt nunquam amabimus: beatè ſi vnquam amauimus.
Hanc Sabæi mox ſequentur: hanc ſequetur Ganges vltimus:
Fors, & ipſa mox ſequetur ſæua princeps Roma Gentium:
Sæua nunc furore Martis: blanda poſt calore Paruuli.
Cras amemus o Sodales: cras amaſſe ſit neceſſitas.
Iris illi, amica fulſit: arma Regum tincta ſanguine
Mitis illi extorſit Iris: vincla dudum Iano ferrea
Lapſa Cælo iniecit Iris; omen Pacis: auſpex fœderum.
Illud omen nunc ſecutæ feriantur Gentes horridi
Turbine Martis peroſæ. Sic Quirina decreuit fides.

Quan-

Quãdo Pallas in quietem iuſſit milites diſcedere:
Siue quos Eoa Tellus: ſiue quos Ibera ſuſtinet:
Quos, & Arctos pigra nectit: quos & ardens Cã-
cer vſtulat.
Vera nunc cortina Vatum: vera ſunt Cumæa car-
mina.
Nulla belli ſpirat ira: Virginis Partũ vidit dies.
Accubat leæna damæ: mitis agnus adludit lupo:
In cauernas regulorũ paruus inſerit dextrã puer.
Et colubras inter errat innocẽtes infans innocens.
Cras beatè, vt nunquam amabimus: beatè ſi vnquam
amauimus.
Cras amemus o ſodales: cras amaſſe ſit neceſſitas.
Fiſtulæ auditis ſonorem? Mopſus eſt: non temere
audiuimus.
Ite mecum, quò nos cantus: ite quò nos ſtella pro-
uocat.
Mopſus eſt eamus. Ille fiſtulator Diuũ carmina
Sub ſilenti nocte cõcinit. Choræas inducit Chro-
mis:
Daphnis agmen puberum claudit: lyciſca ſectatur
Chromim
Ruſticos inter frequentes: & frequentes inter Cæ-
lites.
Nunc Aſello impune latrat: nunc adulans allatrat
Boui.
Ruſticè qui ſic amauit: hunc neges amaſſe cãdidè?
Comiter qui ſic amauit: quin putes amaſſe ſplen-
didè.
Molliter qui ſic amauit: hũc ſcias perire funditus.
Cras amemus o ſodales: cras amaſſe ſic neceſsitas.
Cras beatè, vt nunquam amabimus, beatè ſi vnquam
amauimus.

Huc

Digitized by Google

Huc eamus o ſodales: huc eamus omnes agmine;
Seu viritim nos recenſet: ſeu tributim poſcit fœderi:
Siue vitæ fœderatos, ſiue morti vita præſtinat.
Vos beatè qui vnquam amaſtis: & beatè qui olim amabitis:
Vota veſtra nuncupate: vota nuncupaui iam mea.
Candidè omnes nũc amemus: prodigè omnes poſt amabimus.

IN NATALEM DIEM CHRISTI OPT. MAX.

SAPPHICVM.

AVtor ô veri, fideique certum
Nomen, & priſci memor, & futuri;
Ales Aſtreæ potiore partu
Editum Matri genus incruentæ:
Fama nec centum reſonare linguis
Iuſſa; nec pennis vigilare centum:
Vna ſed terris, eademque Cælo
Iuris ignaras docuiſſe mentes:
Gnara, quod fas ſit didiciſſe terras:
Cælitum felix, hominumque cuſtos:
I per Auroræ populos olentes:
I per Arctoa gelidos pruina:
Sole quà vernat Zephyritis aura;
Sole qua feruet Pharaonis Aula;
Dic ſub horrenti ſtabulo cubantem

Vid:

Vindicem ſceptri Puerum paterni
Fulmen imbelli poſuiſſe dextra.
Dic vt in culmo tremulus paluſtri
Arbiter vitæ, Domitorque mortis:
Paruulus claræ Dominator Aulæ
Vagit, aut lallat puerile; caſtæ
Matris ad mammas; teretique gemma
Ora ſuffundit tepefacta fletu:
Ora ſuccendit rubefacta riſu,
Illud, hoc inſtar rear eſſe magni
Regis: vltrici metuendus ira;
Regna qui quondam metuenda vertit.
Teſtis eſt agger, cineriſque nimbus:
Teſtis eſt merſus lacrymis Canopus:
Teſtis eſt aſtris viduatus Aether:
Ille, dum vindex Aquilonis Arcem
Vrget obſeſſam, volucrumque fratrum
Rara iuuentus:
Patris & vaſta ſolium ruina
Iam diu pendens, cytharæque fractæ
Cælitum, & pennæ iuuenum ruentum
Aethere lapſæ.
Teſtis eſt ponti ſpatiata latè
Vnda: dum magnum ſcelus expiatur
Stirpis humanæ, ſcelerumque fluctu
Naufraga Tellus.
Orbe vix orto male fida Mater
Arboris fruſtra vetitæ reuellit
Poma; vix vulſis, ſceleris recentis
Adſuit Vltor.
Fruge ſemeſa Colubri ſaliua
Ocyus dicto ſubit in medullas:
Matris hortatu Pater, heu! ſequentis

In-

Immemor æui
Stirpe cum tota genus interemit.
Ilicet nullo remoranda ſæclo
Hoc lues ſeros fluit in Nepotes
Fonte perennis;
Omnis hoc fraudum chorus, omne peſtis
Agmen emerſit: patribusque peior
Improbis proles vitioſiòrem
Stirpis antiquæ ſobolem datura.
Vna iam lethi facies per orbem
Triſtis errabat: breuiore gyro
Vſque concludens hominum nocentum
Sæcla: cum crimen dubij repertum
Artifex lethi, rapidique: nondum
Pinus infames aditura ſyrtes
Perbreui fretos Naſamonas æſtu
Norat; ignoto data nulla norat
Nomina ponto.
Pleiadum nondum numeros notarat
Typhis: aut quiſquis fuit ille, vitam
Sede, qui primus ſtabili relicta
Credidit vndis.
Cum Deus Terras male feriatas
Vltus ex alto, rapidum ſub æquor
Voluit, & cætus hominum nocentum:
Voluit & cætus pecudum innocentum.
Quàm propè e Terris genus omne vindex
Vnda deleuit? niſi luctuoſæ
Pauca iacturæ Pater abrogaſſet
Nomina Genti!
Innocens caſtæ volitante curru,
Numinis dextro moderante flatu
Poſteræ ſemen Sobolis relictum

Spem

Spemque nepotum
Euehens ponti vada per profundi ;
Per ſalo merſos ſuperante montes :
Perque pinetis nemoroſa denſis
Soſpite curſu
Iris aſſulſit : iubet hæc relabi
Aequor , & iuſſas habuere ripas
Fluminum lapſus : habuere fluctus
Littora ponti :
Vnda ſubſedit : videt aſtra Tellus :
Et noui blandum tepuere ſoles
Perdiu : riſit meliore vultu
Infrequens Orbis licet : & liquentis
Aetheris nulli nociturus hauſtus .
Vite cum lætus Senior reperta
Cæperat triſtes hilarare curas :
Cum male Autoris capiti pepercit
Muneris vſus .
Inde diſceſſum . Sobolesque fratrum
Creuit effæto Patre per nitentes
Cycladas ; Nerei per & ampla : ſedes
Quærere iuſſà .
Ecce famoſi generis Gygantes
Viribus freti properant relicto
Orbe poſtremo , ſuperare ſummum
Turribus orbem .
Iamque ſublimi tabulata niſu
Pertinax cælo labor admouebat ;
Cum Pater magnis inimicus auſis
Nube rubenti
Septus ; En audax , ait , aſtra proles
Rurſus affectat : ſcelus ! Ite mecum :
Ite deiectum male contumaci

Par-

Parcimus hoſti.
Creuit hæc moles operoſa quantum
Teſte me! dixit. tonuit triſulcum
Fulmen, & latè iacuit ſolutum
Coctile textum.
Neue diſiectum reparet cadauer
Arcis immenſæ faber; ore notus
Diſperit ſermo; reſonant bilingui
Verba palato.
Inter hæc quidam vetere retractat
Voce ſermonem: ſtupefactus, hæret
Mentis interpres ſed enim fefellit;
Immemor index.
Oris antiqui properati fratres
Quiſpiam, dixit, reparemus Arcem:
Proximus quiſquis fuit: inſolenti
Voce locutum
Ridet, & notos meditatus ipſe
Promere, ignotos iterat ſuſurros
Vocis oblitus patriæ, ſuique
Neſcius hoſpes.
Ille nunc luctus numeroſus Autor:
Ille Regnorum metus: ille terror:
Alget in cunis tener. An furoris
Bella moturus Puer, an ne Amoris?
Si qua per terras numeroſa peſtis
Rurſus erumpat: ſcelerum miniſtræ
Quinque ſi regnent furiæ per vrbes:
Rurſus in pœnas Puer hic Erythren
Poſſit ordiri; Phariosque fluctus?
Si quid infandum Mareotis audet:
Paruus hic magnas populetur Vrbes?
Hic Puer nimbo grauεolentis ignis

In-

Inſidens latos coaceruet alto
Sulphure campos ?
Audet ; & tantum Puer ? Audet. Ille
Sit licet nodis religatus arctis :
Clara vagitu licet aſtra rumpat :
Alteras Infans meditatus iras :
Alteros victor iaculatur ignes
Paruus ingentes, niueæ Sequeſter
Pacis : & Cæli, mediusque Terræ.
Acer o magni Patris, acer ignis,
Clara naſcenti coma cui Sabæo
Orbe ſubriſit noua flamma dudum :
Dona cui Memnon niger a nitenti
Gange feſtinat, iubaris ſereni
Omen, & notum auſpicium ſecutus :
Cuius ad cunas pauefacta paruo
Sceptra ſubſternunt humiles Tyranni :
Aſtra cui parent : Superumque limen
Euomit vulgò volucres choræas :
Regna cui turbant, Solymumque primi
Rege cum ſæuo nimium pauentes
Cuncta permiſcent trepido tumultu.
Acer euerſo ſubiture Mundo
Conſul æternæ melior quietis :
Diue non vno generate partu :
Nate ſed Patri ſinè matre Cælo.
Nate ſed Matri ſinè Patre Terris :
Patris interpres, columenque Diuum.
Tempus en felix aderit laborum :
En tuos aude numerare menſes,
Frœnaq; molitus bipatentis Orbis.
Vera ſi de te cecinere ; Vates
Ferreos mores iterum recudant

Re-

Rege te ductos meliore vena.
Impios enſes iterum refingant
Falcis in mites potioris vſus.
Monſtra, quæ terris ſcelerum tumeſcent;
Occidant blandis Pueri ſagittis.
Innocens agnos lupus inter erret;
Bobus informes ſocientur Vrſi:
Accubet fuluo vitulus leoni:
Pardus admixto ſtabuletur hœdo.
Vere dum brumæ regelant pruinæ:
Flaua dum ſpicis redimitur æſtas:
Dum graues anno fugiente fœtus
Ponit Autumnus: gelidæque brumæ
Dum comas ſyluis virides recidunt:
Luce te prima memores canemus:
Luce te ſumma memores canemus.
Ante Ripheis animis colores:
Et niues leni Zephyro redibunt:
Ante tranabit liquidas per auras
Squameum Nerei pecus: ante ſalſa
Regna Delphinum volucres ſecabunt;
Quam tuos ignes, placidasque pugnas
Pacis inuictæ memores per aras
Fama dediſcat memorare terris.

Se, præter infantiam Chriſti, nihil poſſe canere.

EX ANACREONTE IAMBICVM ARCHILOCHIVM:

CAntem libenter ſidera:
Cantem libenter Numini

In-

Inuenta rerum ſemina:
Sed Barbiton tantum mihi
Reddit Dei Cunabula.
Fibras, fidesque ſuſtuli,
Nouosque neruos ſubdidi:
Fides, chelym dum verbero,
Reddit Dei Cunabula.
Cantare nuper cœperam
Diuum labores nobiles.
Cantare cœpi martios
In bella regum ſpiritus;
Et cincta foſſis oppida,
Et cæde pontum ſpumeum:
Regesque captos vinculis,
Pompam triumphis additam.
Sed pertinaci carmine
Fides canit Cunabula.
Laudes valete Numinis:
Laudes valete Cœlitum
Regum valete prælia
Nam barbiton tantum mihi
Reddit Dei Cunabula.

Eos eſſe beatos,

qui pauperes exemplo Chriſti malunt eſſe.

MISCELLA BOETII METRA.

Q Vos putas nitere claros
Tyrio murice Reges:
Quos vides obire multo
Laterum milite ſeptos;

Ar-

Arduo ſtatu rigentes,
Tumidos pectora faſtu;
Si quis externo ſpoliet ſuperbos
Vani tegmine cultus,
Liberos foris, videbit
Famula compede vinctos.
Hinc enim cupido vexat
Rabidos: pectus amaro
Liuor hinc edit veneno:
Furor hinc aſperat iras:
Indè iacturæ cruciatus angit:
Aut ſpes credula fallit.
Ergo fluctibus tot actos
Dicas eſſe beatos?
Obrutum his caput tyrannis
Dominum dixeris eſſe?
Ergo quem vocem beatum?
Qui te, Diue, ſecutus
Horridos cultus amat, & cubile
Pauperis antri.

RACHEL PLORANS.

IAMBICVM ARCHILOCHIVM ACATALECTVM.

QVi quæritur longè exulat,
Quid me, meos quid diſtrahis?
Ah! parce miles obſecro:
Ah parce, parce miles ah
Nil noxijs infantulis,
Infantulis ah blandulis.

Digitized by Google

Per has ego te lacrymas,
Per ſi quid eſt lætum tibi;
Per quicquid æqui eſt vſpiam,
Per quidquid eſt ſancti, & boni,
Concede matri perditæ
Nil noxios infantulos
Nec Regiæ, nec Regibus.
Sic te Beatum fauſtitas
Per læta rerum, Cælites
Sic te piium ſuperſtitent:
Superſtitent, & ſoſpitent;
Sic te Parentem liberi
Auctent, ament, ornent, colant,
Suffulciant boni bonum
Superſtites ſuperſtitem.
Nam ſceptra non multos timent.
Vnum veretur Regia.
Ne miles extinguas duos,
Quos & gemellos edidi:
Aut e duobus neminem;
Aut e duobus alterum.
Ad ſceptra deſignat Deus
Vtrumque? (non aiunt mi homo)
Vtrumque regnum non capit.
Nunc e duobus neminem
Quod ſceptra Regni non vocent,
Nati parentes edocent:
Nec ſtirpe Dauidis Sati,
Nec (quod canunt oracula)
Parente nati Virgine.
Quod e duobus alterum
Non ſceptra ſuſceptum timent:
Ipſi gemelli prædicant

Si-

Simul ſati, nati ſimul.
At partus vnus Regius,
Et vnus eſt Regi metus:
Aut ſi vereris alterum:
Vtrum? cedo dic obſecro:
Tu, ſi potes, diſtinguito;
Et, ſi times, extinguito;
Vna eſt gemellis indoles:
Ah gratus error ciuibus,
Et error ah gratus tibi,
Si reſpicis, ſi iram domas.
Quidquid recens, oportuit
In lucis currus euehi.
Cui ſceptra deſpondes Deus?
Si ſigna cæli conſulis
Legationes exteras
Vetuſta Vatum carmina
Natum recens oportuit;
At hos gemellos protuli
Cum flore vernarent nouo
Anno nouella gramina.
Nec dum ſecundam blanduli
Videre poſt illam roſam,
Annum puellis alterum
Aprilis alter aduehet.
Tum, quem requiris, aut Deum
Rex eſſe dicit, aut negat.
Si dicit: an pugnat Deo
Ritu Gigantum? Quem miſer
Auſu laceſſit irrito?
Quem prouocatis? Proh fidem!
Armatis in Diuum manus
Stultè feroces, impias?

Digitized by Google

At cui litatis? ſi negat.
Vires at vnum Principis,
Vnum Tribuni, vnum aſſeclæ,
Vnum cohortes claſſicæ
Tanti Duces, tot milites
Vnum inſequuntur paruulum,
Nudum, innocentem infantulum.
Vbi pudor? mores vbi?
Vbi fides mortalium?
Nunc ille, ſeu verè Deus
Eſt, ſiue mortalis puer,
Qui quæritur: quando latet.
Omitte miles quærere
Nil molientem paruulum,
Hinc exulantem longius,
Et ſe prementem ſedulò,
Tangi Deum non eſt pium:
Quæri latentem eſt irritum,
Lædique pupum iniurium eſt
Nil machinantem, nil graue.
Per has ego te lacrymas
Per quidquid eſt lætum tibi;
Per hos gemellos criſpulos
A cæde crudeli manus
Intaminatas abſtine.
Quid me meos, quid diſtrahis?
Quid diſtrahis miles meos?

Execratio, & Imprecatio.

VT te ſatelles barbare
Heri ſatelles barbari
Vindicta præſens Numinis

Pi-

Diuexet exemplis nouis.
Qui me, meos qui diſtrahis
Qui ſurpuiſti mi meos,
Veſane, Vecors, Carnifex
Immanis, immitis, ferox
Crudelis; implacabilis
Inceſte, deteſtabilis,
Qui ſurpuiſti mi meos.
Num flexus eſt? num territus?
Aut Vrbis orbitatibus?
Aut ciuium plangoribus?
Aut matris eiulatibus?
Aut paruuli vagitibus?
Aut Patris orantis prece?
Aut legis, aut mortis metu?
Præſentis aut infamiæ
Incommodis ſermonibus?
Aut poſterorum litteris?
Aut cuncta cernentis Dei
Inſtantis e cælo minis?
Nil flexus eſt, nil territus,
Non paruulorum lactea
Aetatula, aut ocellulis:
Nil lachrymarum gemmulis,
Innoxio nil ſanguine,
Vagitibus nil flexus eſt:
Nil flore, nil riſu, ferox,
Nil cæde in ipſa, palmulas
Dum porrigunt infantuli,
Et effero ſatelliti
Adblandiuntur, vt Patri:
Quam ſæuus inſtet neſcij.
Cui ſupplicent? quid impetrent

Pupi puelli, belluli
Tenelluli elegantuli?
Nil flexus eſt, nil territus,
Immanis, execrabilis,
Crudelis, intractabilis
Nil flore, ni riſu, heu roſæ.
Roſæ genarum amabiles.
Amabiles, amœnulæ,
Elanguiſtis, barbara
A ſtirpe ſucciſæ manu.
Elanguiſtis floſculi,
Elanguiſtis primuli
Hyacinthuli, Narciſſuli;
Tenelluli, Integelluli,
Pulchelluli, elegantuli
Elanguiſtis: Blanduli
Matris, patriſque occelluli
Pupi, pueli, pupuli
Belli puelli criſpuli
Narciſſuli integelluli
Elanguiſtis primuli
Heu pupuli, heu pulchelluli,
Puelluli, tenelluli
Bellæ, tenellæ heu flammulæ
Heu corcula, heu medullulæ,
Heu occidiſtis. Carnifex
Inceſte, deteſtabilis
Veſane, vecors, Carnifex;
Qui mi meos, qui diſtrahis.
Qui ſurpuiſti mi meos
Num flexus eſt? Num territus?
Crudelis, immitis, ferox,
Dum barbarum appellant Patrem,

Dum

Dum blandiuntur barbaro
Oce Iuli integelluli?
Hæc Rector orbis aſpicis,
Et fulmen in ceraunias
Quercus triſulcum diriges?
Et cæde ſpumant interim
Infantulorum innoxia
Impunè ſedes, compita,
Viæ, plateæ, publica,
Priuata? Cur vt purpura
Ducat colorem veſtium?
Bis tincta non fulget ſatis?
Heu differor doloribus,
Hæc vt viderem, ſeiugi
Vitæ iugalem prætuli?
Hæc vt dolerem Virginem
Florem dicaui nuptijs?
Hic partus eſt Puerperis
Datus? Dolores proximi
Mortem dolenti ſunt leues,
Nupſiſſe ſi credis nefas
Regis ſatelles Barbari,
Et extuliſſe liberos;
Me me ferires Carnifex;
Quæ nupta natos extuli:
At innocentes viuerent.

Comploratio, & Tumulus.

HEu mater, heu nec mater, heu
Fui! fuiſtis Gnatuli
Amænitatum gemmulæ
Rotundulæ, pellucidæ

Antiquiores, indicis.
Quid eſtis? Hoc eratis? Heu!
Diloricatos artulos,
Diſiecta reddas membrula,
Concerpta, palpitantia,
Confoſſa, ſemimortua
Fragmenta, ſupplex heu rogo.
Vbi fides mortalium?
Vbi metus cælestium?
Vbi pudor? mores vbi?
Pupi miſelli, belluli,
Quos ille vi mulctat ferus:
Heu blanduli, heu tenellul,
Heu floſculi, heu pulchelluli.
Vt te, ſatelles barbare,
Heri ſatelles barbari
Vindicta præſens Numinis
Diuexet exemplis nouis:
Qui mi meos, qui diſtrahis,
Qui ſurpuiſti mi meos.
En quam lego dextellulam?
En quam ſiniſtellam lego?
Quas palmulas, quas tibias?
En ſaucium pectuſculum?
Transuerberatum eſt corculum!
Humeriſque vulſa brachia.
Vbi flauus eſt vertex? vbi
Auulſus e collo? heu dolor
Conquire flauum verticem:
Conquire frontem eburneam:
Conquire iactam hinc longius.
At ecce feſtiuum caput,
Heu prouolutum puluere,

Heu

Heu! cæde roratum rubet,
Vbi lepos? vbi indoles?
Lucent vt illiſæ genæ!
Vt frontis infectum eſt ebur
   Vt te ſatelles barbare
Vindicta præſens Numinis
Diuexet exemplis nouis.
   Vbi venuſtas mellea!
Vbi gemellæ ſtellulæ?
Vbi genarum flammulæ?
Meraciores punicis?
Vbi niues corallinæ?
Vbi niuales purpuræ?
Vbi labellorum roſæ?
Eheu fuerunt omnia,
Eheu fuiſtis pupuli
Eburnei, venuſtuli,
Pulchelluli; columbuli.
   En rore turgent lacteo
Matris papillæ: ſed quibus?
Annona noſtra quos alet?
Vt te malorum quicquid eſt
Vbique, quicquid funerum
Premat, prematque, & lancinet,
Veſane, vecors, Carnifex.
   Heu blanduli, heu tenelluli
Hyacinthuli, Narciſſuli,
Quos ira Regis decoquit,
Quos ille proculcat ferus.
Amabiles, venuſtuli
Matris lepores primuli
Primæ parentum flammulæ.
Heu Margaritæ primulæ,

Heu floſculi integelluli,
Pulchellu'i, eleganttuli.
Heu palmulæ intermortuæ:
Flanguidæ heu dextellulæ
Heu criſpuli, cincinnuli,
Anelluli contortuli
Heu turbido cincinnuli
Cruore concreti rigent:
Turpique fœdi puluere.
At o Tyrannorum metus,
Dauidis Hæres maxime
Mapale qui Bethlemium
Illuſtribus natalibus
Pijs frequentas Regibus;
Miroque vulgas ſidere;
Si vera poſco: ſi parens
Orbata natis, obruta
Mœrore, luctu, ſordibus:
Cum te latentem barbarus
Hic immolet tot cædibus,
Quot mactat infantes ferus.
Has aure non ſurda preces
Cultor mapalis èxcipe,
Terror Tyrannorum puer,
Sic tu puellus ſanguine
Infantulorum innoxio
Eras tuendus? Te Deo;
Te Rege, te ſuperſtite
Numquam videbor obruta;
Orbata numquam. Dignus es;
Vt hoc cruore purpura
O Rex, coloretur tibi.
O Floſculorum, Floſcule

Fo-

Feſtiuitas Mortalium,
Tranquillitas cæleſtium,
O Vota Terrarum Puer,
At immerentem perdere
Te quando conatus; meos
Tot Rex trucidat impius
Pupos, quot obtruncat ferus:
Te, quem vereri noluit,
Regem, verendum ſentiat.
Hos, quos cruentus immolat,
Vltore te, te Vindice
Norit tuos clientulos.
Tum ſempiternas criminis
Notas inauditi, mei
Teſtes doloris litteras
Hoc carmen æternum velis
Hærere paruo marmore.
Intelligant vt poſteri,
Qui ſponte dedant, ſe tibi:
Qui te fatebuntur Deum,
Qui te reuerebuntur Deum:
Et te Puellis, funeris
Cauſam fuiſſe, & Prœmium.

De Puero IESV in ſtabulo.

PHALEVCIVM HENDECASYLLABVM.

AT vobis malè ſit malæ procellæ,
Florum pernicies, lues leporum;

Quæ dum aduoluitis aggeres niuales,
Mole qua Syluæ graues laborent,
Inuidæ omnia bella deuoratis.
Per vos cuncta gelu rigent acuto,
Vndas ſtiria ſuſtinet caducas,
Concreſcit mare, fluminumque lapſus:
Veſter ſibilus, improbique flatus
Difflant omnia, diſſipant, adurunt;
Veſtro nunc ſtrepitu mapale mugit:
Et culmi fragiles, breuesque cunæ:
Quas nunc vuidulis madens ocellis
Rorat floſculus ille floſculorum,
Integellulus, elegantulusque,
Omnium decus elegantiarum.
Veſtra nunc opera, malæ procellæ,
Vagit aureolus, tenellus infans,
Blandus, criſpulus integellus, omni
Melle, nectare delibutus omni.
En vt lacrymulæ genis volutæ
Vbertim gremium rigant Parentis!
Vt gemmæ ſtipulis eunt rotundæ!
Vt ſtramen teretes bibit liquores!
Vt vagit tener, vt rubent ocelli!
Artus horriduli vt micant Puelli!
Liuent purpureæ vt roſæ genarum!
Vt corallina candicant labella!
Palmæ vt lacteolæ tument, pedesque?
At vobis male ſit, malæ procellæ:
Quæ pupum mihi læditis tenellum.
Vt voluminibus vagis comarum
Illudunt boreæ procaciores!
Vt cincinnulus errat hac, & illac.
Hem contortulus aureique cyrrhi

Anelli tremuli, venuſtulique!
Vt vobis malè ſit malæ procellæ.

AD PVERVM IESVM

Entheus furor.

EX MISCELLIS IAMBICIS.

AGe Diue: quis furor me celerem rapit? io. io
Feror in reducta curſu rapido ſtabula, feror:
Vbi ſæpe Cælites ad cytharas pede volucri
Agitare ſolent ſalientes iterata tripudia:
Vbi pulſa ſonant fidibus permixta cymbala:
Vbi diua parens vix capit ebria gaudia pectore.
Iuuat intereſſe diuis: iuuat auia tenero
Celebrata Numini in ſepoſito regio ſpecu:
Hominum iuuat domos, concilia, alloquia gradu
Fugitare cito: ſimili quis face pectora concitus
Properare parat? ſuperos auditis aureos
Sociare choros? vt reboantia carmina diſijcit
Liquido procella cantu? vt geminata volucribus
Syluæ voluta reddunt? euöe, puer, euöe:
Euöe feror puer. parce precor, precor, animos
Stimulare citos, precor o præcipites animos rege:
Moderare puer: mihi vix in igne tempero:
Pote vix animũ ſum facibus retinere premẽtibus.
Alios adure tantum melius puer: alios
Amor vre: pectus aut finge capax mihi citius
Celeris, Puellæ, flammæ: tua tunc mihi penitus
Iterabis amor pueri vulnera fixa potentius:

Do-

Digitized by Google

Demirare tuo penitus, tunc blande ſpiculo
Erit hoc iaculis tunc mihi, belluſe, pectus idoneſi.
Stimulis tuis citatus tua carmina fidibus
Referam tuus Sacerdos: tua, Numen, initia
Recinet iocoſa (donec mihi vita ſupereſit)
Reſonat i'e vocis imago mihi murmur in auijs
Latebris nemorum puer: o meum cor vrito:
Puer imperitans cor mihi ſeruitio vacuum rege.

AD IESVM INFANTEM,

& Virginem Matrem

PHALEVCIVM

Lactis candidior Puer liquore;
Et igni vehementior furente:
Niuis candidior nitore Mater:
Rurſus pectore purior columbæ.
Circum victima ducitur calentes
Aras, vota tibi Puer; tibique
Vel nulli ſuperum ſecunda Virgo:
Vel ſoli Puero ſecunda Mater.
Lætus corda darem tibi Puelle:
Lætus corda darem tibi Puella;
Sed ſunt corda gelu coacta Mater;
Sed ſunt ſorde Puer fluente fœda:
Puer ſplendidior micante ſole:
Mater lucidior nitente Luna.
At ſi corda placent gelu coacta
At ſi ſorde placent fluente fœda;

Am-

Ambobus venio Puer, Parensque
Sic torpore grauis, liquente tabo
Sic fœdus. Cape fæda corda Virgo:
Iuncto aſtricta gelu, Puelle, ſume:
Et tu dilue pura, Virgo, labem:
Et tu corda gelu, Puer, reſolue:
Lactis candidior, Puer, liquore:
Et igni vehementior furente:
Niuis candidior nitore Mater,
Rurſus pectore purior columbæ.

IESVS PVER ET PAVPER

Exprobrat mortalium auaritiam.

MArmora Threijcio riſpunt Aquilone procellæ:
Montes onuſti candicant
Impoſitis niuibus,
Tu Boream increpitans immitem, largiùs igni
Syluas reciſas ingeris:
Tu dapibus celebras
Longiùs aduectis conuiuia fronte remiſſâ;
Sæuisque ſoluis pectora
Sollicitudinibus.
Tu pellitarum circumdas more ferarum
Murina membris tegmina.
Tu tibi multiplices
Arte laboratas veſtes inducis, & auro,
Gemmisque contextis graues:
Atria barbarico
Diues habes ſum tu, cælo ſublata: teguntque
Aulam labores Attali,
Gazaque Mygdonia.

M.

Mille tuis errant effœtæ montibus agnæ:
Tu mille diues millibus
Iugera bobus aras.
Tu mare percurris dextris aquilonibus Indum:
Et ſolis exerces, tuæ
Exul, vtramque domum.
Et quaſi iam cælum deſperes: pectora terris
Figis. nec infantem Deum
Reſpicis immodico
Frigore plorantem, & dura ſub rupe iacentem,
Amorem habendi perditum
Increpitare tuum.

VATICINIVM B. M. V.

DE PVERO IESV CIRCVMCISO

PHALEVCIVM.

SAcro vulnere ſaucius gemebat
Puer, delicium, leporque Diuum;
Tergebat lacrymas Parens Puelli,
Pectus ſaucia ſæuiore telo.
Dum tergit, minuitque voce fletum,
Fletu talia miſcuiſſe fertur.
Puer blandule, mollicelle Pupe,
Puer vulnera, gaudiumque Matris,
Dias lacrymulas, ſacroſque rores,
Salſas comprime, delicate, gemmas,
Quæ de turgidulis fluunt ocellis,
Quæ de flammeolis genis volutæ

Ar-

Artus candidulos rigant tenelli:
Gemmas, bellule, contine cadentes
Matris. gemmula, pupe, margaritum.
Cor mi ſurpuit, integelle, cor mi
Fletus ſurpuit iſte: delicate
Quid vagis? puer, acriore quondam
Nobis pectora vulnerande telo?
Puer blandule, mollicelle pupe.
Quid vagis? fluuios dabis cruoris
(Heu mæſtæ lacrymæ puer Parentis)
Maiores fluuios dabis cruoris.
Heu tempus venit, heu puelle, tempus,
Cum te verbera dura conſcribillent:
Cum coſtas tibi detegant latentes:
Cum dumeta ſacrum caput penetrent:
Cum claui terebrent manum trabales:
Cum claui terebrent pedem trabales
Cum cuſpis latus hauriat rigentis:
Nigræ cum tenebræ præmant ocellos,
Qui vincunt radios, puer, diei:
Qui nunc viſcera ſauciant Parentis.
Cum multo irriguus, Puer, cruore
Concretus, puer integelle, crines,
Dicas has lacrymas fuiſſe riſus:
Dicas vulneris id fuiſſe ludum.
Heu mæſtæ lacrimæ, puer, Parentis!
Pupe blandule, mollicelle pupe.

CAR-

CARMEN DITHYRAMBICVM

In Hiſpanæ Regiæ laudem a Muſicis emodulatum, quo die Carolus Caraſa in Collegio Romano de Philoſophia publicè diſputauit.

VIM CONSILIO TEMPERATAM IN MAIVS A DEO PROMOVERI.

SI per audientes, Lyra, Dithyrambos
Verba ſertenæ meditata linguæ
Arduam geſtis malè pertinaci
Gloriæ fidem ſuperare niſu;
Age ſublimem molita pedem
Rege Dircæi carmen cloris
Lege ſolutum.
Libera Cælo ſpatiare tuo.
Par cauſa iubet fide Sidonia
Ducis Heſperij luſtrare Domum.
Hic dies refert agitaſſe ludo:
Hic ſat inſomnes vigilaſſe noctes:
Ver vbi totus meditatur annus
Luce colorifera ſerenum.
Siue ſit Idalio neceſſe
Texere flore ſolum: rubentem
Siue roſam leuis aura pingi
Poſcat Acidalio cruore.
Quid ſi ſummi Patris imperio
Gratia Paci iuncta Sorori
Trahit in ſeriem cita pennipedum
Agmina Diuum?

Vi-

Vidi; vidi quà rura Tagus
Ampla benigno præterit auro
Lucido procul ſonorus æſtu,
Iſſe fluenti Charites luxu,
Reſtique data duxiſſe choros.
Quo more cælo Biſtonius canor
Ad ſigna longis ordinibus citat
Cœtus volucrum, litterata
Fronte Pharon repetens bilinguem:
Cum Regna bello protinus alite
Pigmeia vaſtant, & rapido Ducis
Exile corpus vngue tollit
In Zephyros fugitiuus hoſtis,
Non vides quanto glomerata laudum
Alitum cœtu Penetrale feri
Solis illuſtrat, celebratque puro
Gloria peplo?
Inſcende mitis terga Fauonij;
Viſura, quali rura volumine
Fœcunda raditdiuitis Heſperi
Flauentis Hermi ſplendidus æmulus.
At me non, alios quæ cupidè tenent,
Emptæ naufragijs gemmiferis opes
Tangunt attonitum: iungat Atlantico
Nereo ſceptra licet Regia Memnonis.
Nec dum clarus agit Delius aureas
Mundi quadrigas, exterior dies
Fines beatæ claudit Iberiæ.
Me regna pacis belligeræ mouent:
Certata Neptuno ſuper:
Munita pugnaci manu,
Mitique iuxta: quacunque tellus,
Quacunque pontus metat arua,

Man-

Manſueta cultu, deſerta cultu.
Vtcunque Virtus Heſperis incito
Vim temperatam protulit impetu,
Inſueta vinci, ſi crepuit tuba:
Aſſueta ferrum condere, ſi tacet.
Miſcere vires conſilio efficax:
Qua regna bello, qua pace victrix
Promouet, aut melius tuetur:
Auſpicijs vtriusque laudis,
Armata fortis, pacata felix.
Hoc dicet moriens, hoc oriens dies,
Igne qui torret glacialis Vrſæ,
Regna qui ſeruat cinefacta cancri;
Dicet: atque Edon poſitis pharetris,
Auctus heu noſtris nimium rapinis:
Lætus & noſtro (pudor heu Parentum)
Barbarus luctu (pudor heu Nepotum)
Ni contudiſſet plus vice ſimplici
Infauſta læui cornua ſideris
Auſtriadum Victoria dextro
Fulmine pugnax.
O illa quali riſit adorea
Lux alma nobis rebus in vltimis:
Cum decoloris cædis Echinadas
Infecit albas Odryſius cruor:
Caſſoſque miſſo vertice turbines,
Et rapta truncis brachia naufragis:
Sparſoſque ponto ſemineces Duces:
Artusque fractos, & laceras rates,
Et cæde rubros fluctus acinaces
Diſtulit Ambracios per æſtus!
Ex illo (memini) prodiga munerum
Gentes inter amat viſere Fauſtitas;

Pigras qua Boreas accumulat niues,
Qua rores pluuios, & nebulas niger
Irritat Auſter: qua refuſo
Submouet Oceano dirempta
Regna fluentiſonum per æquor.
Ignara Graijs altera, Tethys
Mos vnde recti certus, & Aetheris
Tutela noti: rurſus & oppidis
Accepta crebris fœdera cælitum,
Et lex, & metuens flagiti lepor;
Et Spes, & Pietas, & Pudor, & Fides,
Necnon vlta vetus Relligio nefas,
Nec rallura nouum Regna per aurea.
Si nec tergemini Gerionis furor
Coniuratus opes vertere funditus
Olim, Tybri, tuas; ſemper, vt antehac
Marte ferox inſanit aperto:
Nec centum gemino doloſus aſtu
Inſomnes oculos hiulcat Argus,
Cœca ferens diſcrimina fraudum.
Quis iam Gygantis bella tricorporis
Tutus pauebit? Scimus vt impias
Fruſtra reluctantes catenis
Impoſitis domuere turmas.
Molles feroci conſilio additæ
Vires, & ictu fulminis acrior
Bellona mitis: cum ſagaci
Vi mora deproperatur ardens.
Impetu primo ſceleroſus error
Impotens vinci male ſuſtinetur.
Idem vbi primæ ſenuere vires:
Occidit flammæ morientis inſtar.
Meditare diu, quæ firma cupis.

Aeter-

Digitized by Google

Aeterna ſedent, quæ certa ſedent.
Moderata vigent; violenta ruunt,
Expers conſilij manus
Eſt tuta rarò, ſecura nunquam.
Et miremur adhuc, ſi Phaetontios
Iletus Eliadum debet Iberia
Electrum famulare ſecundo
Eridanus placidus ſuſurro?
Vtrum ſuperba ceruice faſces
Detrectet armis horridus Inſuber?
Quos ſepta crebris Lydia portubus,
Marſusque pernix, acer & Appulus
Nataliſque mihi Parthenopes ſinus,
Et Nympha Sebethis recenti
Vſque comam redimita myrto
Compoſitis venerantur armis.
Quin & Galeſi fluminis accola
Afer, & experiens laborum;
Ac ſponte ſato, ſi iuuet, obuius
Occiduam colit æquus Aulam.
Sed læta caſtis imperijs magis,
Integri tenax Pudoris,
Paret æternum, & ſtudet
Arethuſa virginalis
Vndoſa fontis quæ velit oſcula
Impermixta liquoribus
O Alphæe tuis, licet
Flumina longo
Exercita curſu
Elide Ducas
Magna ſonans: & nomina Piſæ;
Et ludos, lucosque Molorchi.

EPI-

EPIPOMPEVTICVM DITHYRAMBICVM
De Burgheſiæ Romæ Laudibus.

decantatum inter Philoſophicas diſputationes

F. RANCISCI GVEVARAE

QVirina Mater, & Quirina virtus
Tergemini potens Honoris,
Imperi parens beati
Vaticana iura terris
Regna Pacis incruentæ
Præſide rerum, Rege ſacrorum,
Auſpice recti, Principe PAVLO
SALVTIS ante limen adſerebat.
dſidebat huic Themis, Diceque
Pacis obſes, auctor æqui.
Adſidebat huic Eunice
Laurigero cruore læta.
Sequeſtra Pacis, & ſequeſtra Romæ
Eunomie mouebat agmen,
Dulce loquentum
Agmen Amorum:
Lene iubentium
Agmen Honorum.
erulante culta peplo,
Stellata crinem multicolore gemma
Inter aſtra Romulæa

Ve-

Vecta mater axe ſacro
Orbitam liquentis æthræ
Igne lacteo ſerenam
Nube tranſuolat curuli
Coniuges citans Dracones
Satellitesque fulminis.
Conſcenat hinc Irene
Exoſa tubas, exoſa nefas;
Pudibunda genas, animoſa Deo;
Iuſſa ſubter aſtra mundi
Copulare regna Diuum.
Neuerat huic pallam
Nube textili fluentem,
Diſcolore luce pictam
Nuncia Diuum, Thaumante ſata.
Ilicet moti bipatentis Aulæ
Matris aduentu ſonuere poſtes,
Stellifer longùm titubauit Atlas
Pondus vt tulit ſuper ſonantis axis;
Legiferæ Matris vt numen hauſit.
Mœret Anubis: pallet Oſiris:
Omnigenumque Deum
Mammoſa Parens
Complicata pectinatim
(Vt in dolore) manus.
Aſtra vocat crudelia demens.
Bubaſtis execrata ſacra lapſis
Excellit aris: auitus exulat
Illacrimabilis Apis
Inſolenter exultantis
Paſſa fugam ridet Nilotica Memphis:
Nec Getulo cultus Iarbæ
Minus expauit corniger Ammon:

Nec

Nec Dyctææ Dactylus Idæ
Quatit æra Dyndimenæ
Sacra, vagitum preſſura Ionis.
Propius Latio Latiale iubar
Dulcis honeſti Pater exeruit
Mille furentum ſceleroſa premens
Monſtra Deorum.
Silet Aegerie pauefacta ſenis,
Senis intonſi Cortina Numæ
Horrore leui criſpata ſinus,
Terrore graui deiecta genas.
Euerſæq. procul thuris acerræ,
Lituiq. flaminales,
Secespitæque rubræ
Vt temerè excuſſæ iacuere paſsim;
Simpuloſq. fictiles
Oblita manus fregit Amatæ.
Immemor Veſtæ rea virginalis
Ilia voti
In cinerem lapſos non ſuſcitat ignes.
Tumulata ſitu delubra Deum
Videt: infrendet: fugit exanguis
Principi Regum minitatus Vrbi,
Sibiloſq. angues relegit trilingui
Tænarus ore.
Multiplicabilibuſque ſpiris
Et crura circum, & brachia circum;
Et colla circum longa volumina
Ora ſuffectus ſanie retorquet.
Nec mora mentis inops,
Et cordis inops liuidæ fundo
Stygis immenſo, breuis vndè via;
In caput præceps ſubit, amne ſummo.

Feruet : & Orbes explicat, hauſti
Corporis index inamœna palus.
Inſtat a tergo Volucer trionum
Nobilis vltor, lucis ahenæ
Flore coruſcus,
Inſtat enſe : terret ore : pellit ictu
Ex alto reuolubiles
Deiectu ſerpentipedum cateruas
Simul error excors : ſimul auſus amens :
Simul ardor impos (fulminatos diceres)
Deſeruere ſacræ mœnia Romæ :
Et ſcelus : & facinus deſeruere ſimul.
Aelias plauſu iuuenem volucrem
Excipit claro reducem triumpho :
Vndique flammiuomis circumſona bombis :
Et recidiua vomens incendia cælo.
VIRGO, quæ niueas Exquilias tenet
Dotalis Vrbis iam melior Parens
Dona recognoſcit : lætiſq. pererrat
Luminibus, vario quæ templa paratu
Iaſidium Rector ſubduxit in auras.
Pulcriùs regnat numeroſa VERI
Præſes : & æquis
Operata ſacris opulentia mentis.
Iurata Cælo : nec ſuperabilis
Artis aut inſidijs doloſæ :
Martis aut excidijs cruenti.
Quantum malorum, quot ſcelerum faces
Extinxit vltrò ? quos ſuper aggeres
Aduoluit hoſtili ſepulcro
In mediam ruitura flammam ?
Ne quære palmas Laomedontijs
Buſtis refixas. ſi piget impiæ

Ar-

Digitized by Google

Arſinóes memorare iura
Tranſcripta Romę: quicquid ab intimo
Ingenij felix, eloquijq; ſinu
Vmbriferum peperit lyceum:
Irriguæ quicquid platani ſub vmbra
Socratricæ maducre linguæ.
Quantum Mopſopiæ Cicadæ
Inſpirat olim Pallas, & Hermes
Aut Rhodijs, Agenoreisve Thæbis
Sub latios dedit illa faſces.
Muſſat hac loquente Memphis.
Diſcit hac docente Dirce:
Paret hac iubente Roma:
Regnat hac regente Cælum.
Audita Ganges Auſoniæ canit
Decreta matris: narrat Atlantico
Excluſa ponto ſi qua longè
Acta iubar latiae ſenſit.
Nutrix Draconis BVRGHESII Dea
Hoc ipſa dicet diuitis Heſperi
Præfecta Syluis.
Nuper vt iunctum compare cum ſua
Vidit Heſperium Draconem
Nymphe, quæ nemori præſidet aureo;
Audax anguineam reponit
Ante iubam: quo more ſolet,
Criſtata leui cum colla manu
Tuta remulcet.
Adblandientis bellua Virginis
Applauſa dextram aut non timet, aut relambit.
Mox hæc orſa loci
Cuſtos inſit Atlantias.
Sic ite pares: ſic ite ſtræ

Digitized by Google

Pacis ab ingenio iugales:
Tuq. potita poli Regina volucrum:
Tuque potita ſoli Regina ferarum.
Sic innocentes ite: ſic ſalutem
Vnanimi iugo trahentes
Atque Pacis, atque lætæ
Vber Amaltheæ
Efferte terris: efferte ponto:
Quacunque pontus, quacunque tellus
Laudis antiquæ dociles amores,
Moris antiqui faciles pudores
Heſperio meditantur auro:
Matris ad arbitrium Quirinæ:
Patris ad Auſpicium Quirini.
Dum templa ſurgunt: dum facili Deo
Augentur aræ dum pudor, & placens
Virtus amicis floret in Oppidis.
Rectiq. tenor, ſanctiq. vigor
Mitis Aſtreæ reuocant in aurum
Sæcula priſcum.
Dùm numeris regit annus æquis
Et molles hyemes, & Zephyros leues:
Et blandi comites ſolis Etheſias.
Autumnatq. graui Pomona fœtu:
Aeſtiuatq fide, quam vota poſcunt
Annona felix.
Sacras vt ædes, pias vt vrbes,
Et ſtabiles opulentet arces.
Nec te detrectare decet
Indocili ceruice iugum
Vigil Heſperidum ſquamoſe cuſtos.
Licet excubijs nemorale tuis
Te viduum reuecet metallum:

Non

Non tamen ante memor deſerta reuiſes
Syluæ limina fuluæ.
Quàm regna terrarum, mariſq.
Ritu Bellerophontio
Centies luſtres Piliosq. PAVLO
Reſcribat annos Gloria centies.

Exprobratio in improbulum Auditorem, qui dictanti Stephonio in gymnaſio Tractationẽ, cui titulũ fecerat

MANIPVLVS SCRIPTORVM.

operam dabat non bonam.

HENDECASSYLLABVM.

VEnite Hendecaſyllabi: venite.
Omnes huc properate, quot quot eſtis:
Circumſiſtite quotquot eſtis omnes.
Boni quem dedimus bonis maniplum,
Muſæ delicium elegantioris,
Exacto mihi pumice expolitum,
Quodam ex improbulo reflagitemus.
Piget tam malè collocaſse noſtrum
Donum tam lepidum: piget, pudetq.
En inceſsite: flagitate. tantum
Bonum tam malè perdidiſſe non eſt
Bellum: ſi mihi creditis: nec æquum.
Imo flagitium, ſceluſq; magnum eſt
Quin inſiſtimus? & reflagitamus?
Quis ſit quæritis? Ille rufus, ille
Audax: & genio ſatus ſiniſtro:
Vrbis opprobrium: pudor ſuorum

Vecors Ardelio : eſuritionum
Gurges , helluo , ſignifer popinæ :
Inuenuſtior : inficentiorq;
Deſerto & ſilice : inficeta & alga :
Ruſcis horridior , feraq; longè
Iſtrice aſperior ; ſit ille quamuis
Tam pulcher ſibi , quàm mihi pudendus :
Magno degener & parente natus ;
Pluma mobilior , volatiliq;
Pappo : triſtior , obſoletiorq;
Quauis illuuie . Cloaca cui non
Auſit Transtyberina comparari .
Fecis fœcula : fœdior Suburra :
Et hoc ſi pote tetrius quid eſſe :
Charybdi truculentior voraci :
Et Symplegade ſurdior fragoſa .
Eſt vultu ille quidem ſatis modeſto ,
Et ſtatu ſatis arduo , ac virili :
Nec ſe comere neſcit & decentes
Per ſuras graphicè magis magiſq;
Ducit calceoloſq; ſericaſq;
Paſtillos olet elegantiorum :
Greſſuſq; ad numerum mouere nouit :
Et fortaſſe genas puer rubore
Aſcito muliebriter colorat :
Nec ſuo oblinit ora purpuriſſo :
Artifex dare criſpulis repandis
Lino ex carbaſino rotam recentem .
Iunonis Volucer velut ſuperbit
Gemmatam populo probante caudam :
Hæc & dexterulæ aptat & ſiniſtræ :
Hæc & collo adapertili apparatu
Magno : multo opere omnia inſtruuntur.

Mol-

Mollis interulæ parerga pulcra,
Siue inuoluula, ſiue plana poſcat:
Quæ vel Belga manu trahit ſupina,
Acu vel variat Sophoena docta
Hæc foris meus hic homullus: intus
Proh quam diſsimili ſitu obſoleſcit.
Nam nil ſcire, ſibi putat decorum:
Et plus marmore noſſe turpe ducit.
Ergo hæc cum patuit Paleſtra linguæ:
Docta vt Gymnade ſe iuuenta laudi
Toto pectore præparet futuræ:
Laudum hunc eſſe ſuum negat laborem,
Hebes: inſcius: infrequens, dolendus.
Hæc ſubſellia doctiora ſe ſe
Preſſat: & grauidis ſoporem ocellis
Toto pectore ſemiſomnus efflat.
Nonnunquam procul hinc abit miſellus,
Hæc, quibus ſapimus, bonis relinquens:
Et, queis nil ſapiunt mali, requirens.
Vipſani petit interim macellum,
Floræ aut quiſquilias, lucem aut ſuburræ:
Vernarum aut triuialium popinas.
Hic poſtquam nouies nouem trientes
Siccauit, calidi & cadum falerni:
Huc, inquit, date teſſeras ſodales.
Certum eſt hanc hilarè vorare lucem;
Sabellus tonet interim licebit,
Quemdam neſcio quem premens maniplum,
Quem mox Deucalion typis aquoſis
Per me, vel Liparenſis officinæ
Faber corriget in me litterato.
His dictis alium ſibi maniplum
Dari poſtulat aleator audax

 Cui-

Cuiuis vendibili pudore culpæ:
Non hunc aut ſimilem huic: ſed eruditum
Illum: quem didicit probè, teritq;
Depictum varijs librum figuris,
Quem verſat celeri manu per omnes
Cauponum, madidus mero, tabernas
Mane, veſpere, luce, nocte, ſemper.
Reculæ patriæ nepos, auitum
Vt mox diruat & ſalem, & ſalinum.
Illi nos vigili labore donum
Sudatum dedimus? damuſq; porro?
Non, non eſt ita; ſed reflagitemus:
Venite Hendecaſyllabi, venite.
Circumſiſtite, quotquot eſtis omnes,
Vocem tollite, iurgiumq; mecum.
Fœde, redde mihi meum maniplum.
Et hinc pulſus abi: pudor tuorum:
Foecis ſœcula turpior Suburra:
Vrbis opprobrium: aleator audax.
Res eſt ſalua: rubet, dolet, gemitq;
Fortaſſis reſipiſcet ille poſthac.
Tacete Hendecaſyllabi, tacete.

Antonio Papacodæ Bernar. Stephonius

Iulianæ Villæ ad Linternum deſcriptio

PHALEVCIVM

Linterni ſinus, Exulis ſepulcrum,
Ingratæ Patrię negantis oſſa:
Omnium domus elegantiarum,
Fœlix vbere Iuliana verno:
Iam pridem lepidos tuos lepores

In-

Inuitat Papacoda: quid moraris?
Hic longo tumet explicata tractu;
Et læti nemoris citat cachinnos
Interfuſa paius arundineto:
Qua denſo redimita, qua recenti
Ripæ in margine læta populeto.
Hæc vndas eadem ſonora criſpat
In morem viridis fluens Cayſtri:
Hæc lento ambitioſa voluit æſtu
Mæandros vitreos liquentis vndæ:
Riparumq; toros, humumque puram
Vda fingere gnara limpha lingua,
Leni murmure quærit ima vallis.
Cumas oppoſitas procul, ſilensq;
Antrum fatidicæ Senis, nemuſq;
Et ſacram Triuiæ domum triformis
Tardè fluctibus vrget acta flexis.
Aeneas vbi ſoſpes ad beatos
Exin Elyſios iturus, auro
Decerpſit rutilo arborem ſonantem,
Matris auſpicium ſequens columbas.
Non longè fremitu ſonat marino
Neptunus gracili diremptus Iſthmo.
Illa cum celeri quiete pontum
Poſsit pellere proximè vocantem,
Campi gramina permeare mauult.
Hic & perſpicuum vitrum relucet,
Incluſum nemoris breui ſalicto.
Repercuſſa vitro per omne marmor
Imago redit æſtuoſa, vultus
Veros reddere ſueta conſulenti.
Hac ſe ſpectet aqua videns videntem;
Hac Narciſsus amet gemens gementem:

Hac naſci Cytherea malit vnda:
Si naſci Cytherea rurſus optet.
Tam blando faciles lacu Napæas
Admixtas Charitum choris frequenter
Aiunt ludere: ſiue cum ſereno
Labuntur taciturna ſigna cælo:
Seu cum flamina mugiunt procellis,
Regis Aeolij remiſſa vinclis.
Quid? quod Pontificum probata cœnis
Hæc piſcoſa palus Maris propinqui
Denſo piſce frequens, natatur vſque.
Soli quod medium vacat relicti
Non ſitu ſteriles tenent arenæ:
Non attonſa leui fruteta cultu,
Longo limite marginare iuſſa
Hortos per medios vias ferentes.
Verum ſponte ſua graues corymbis
Et myrtum Paphiam, innubamque laurum,
Et cithoriaca vireta buxo
Rore nutrit humus madens marito.
An pictos memorem greges Volucrum,
Findentes liquidum diem volatu?
Amplauſu per amœna ſyluularum
Certatim modo ſibilantis auræ
Suſurros; modo ſurda prouocantes
Stagni murmura, cæruloſque riſus?
An leni ſtrepitu liquentis vber
Electri per amica rura vulgo
Natiuo melius ſpecu cadentis:
Et late reſonos cientis æſtus:
Quam quæ lympha cauo coacta plumbo
Se ſiphonibus egerit citatis,
Larga aſpergine & hinc & inde iuſsis
Mi-

Minuto pluuiam irrogare nymbo?
An cælum ſuper incubans? an auras?
An miti Zephiro dies tepentes?
An paſsim violas, amaracumque,
Rubentemque roſam, breuemque caltham?
Aeſtiuamque fidem rigente bruma:
Autumnoque ſuo nemus grauatum:
Et ficu varia arbores beatas?
Iam nunc, cum grauidus Veſæuus igni
Hiberna pater albicat ſenecta:
Et ſuſpenſa gelu, minanſque caſum
Fontes ſtiria ſuſtinet caducos.
Hic tamen facili benigna cornu
Amalthæa viget: nec vna in vno
Seſe munere prodigit facetè.
Paſsim conſpicuæ boues vagantur:
Circum ſpes generis nouella, ludunt
Iunicum vituli leues ſororum.
Mugitu reſonant, & arua circum,
Et iuxta tremulæ paludis vndæ,
Et longe freta littoralis oræ.
Riuales (amor vrget impotentes)
Tauri prælia cornibus laceſſunt.
Stant armenta procul, metuque muſſant,
Vtri ſors veniat prior marito.
Illi frontibus interim irretortis,
Ictus ingeminant graues viciſsim:
Alternis datus it cruor per arctus.
Longe paſcitur immemor furentum
Rixæ Bucula præmium cruentæ.
Caulis quin etiam vagæ relictis
Balantum reparant per arua matres
Lactis vbera, quæ domum reportent,

Cum ſerum iubar occidente Sole
Longas montibus explicabit vmbras.
Simæ, Cyniphium pecus, capellæ
Pendent rupibus, arbutumq; denſam
Tondent, aut cytiſi ſalacis herbam.
Ad hœdilia plena prurientis
In pugnam tenero tumore frontis
Laſciuit pecus interim petulcum:
Nec dum corniculis coniſcat ortis.
Huc, vbi redit inuidendus vrbi,
Primo lumine vernulæ gregatim
Herum muneribus graues, ſalutant:
Carillata cohors, toroſa pubes,
Multo turgida, viuidoque ſucco.
Hic cum melle fauos liquente præbet:
Dumis aſparagos dat ille demptos:
Hic horna ſaturos quiete glires
Offert in medio ſopore captos,
Syluæ præmia, cereoſq; turdos.
Aut plumbo fulicas procul petitas:
Aut aues Diomedis, Ibiciue
Vltas exitium Attico in Theatro:
Quæ circum ſcopulos canore rauco
Per ſudum volitare: quæ ſilentem
Exſurdare modo domum Sybillæ
Aſſuetæ nemori ſacro ſolebant.
Piſcem porrigit ille verberantem
Caudæ ſemianimæ manus flagello,
Immanis patinæ, e lacu recentem:
Optandum ſaliarium popinis.
Qualem Gurges Apicius ſolebat
Deſerto vadimonio helluari.
Fert metas alius coagulorum,

Et

Et lactis calathos adhuc tepentis:
Aut maſſam tremulam in virente iunco:
Mollem aut caſeolum recens coactum
Grandi ex vbere, bubaloque preſſu.
Sunt & blanditiæ recentis horti,
Smaragdo viridi nitentiores,
Breues cauliculi virore denſo;
In florem modo non abire certi:
Ipſa quos poſito otioſa fuſo
Lato Villica legit vngue ſectos.
Hæc inter gracilem Chromis cicutam
Inſpirat: numeros dat illa iuſſos,
Dat incompoſitos Menalca motus:
Strènuo Satyros celer petaces
Aſſultu Alpheſibæus æmulatur.
Nec vero fugiente ſole veſper
Indonatus abit. Seuera patrum
Longo coniugio ſenecta, felix
Natorum numero, pares laborum
Recognoſcit opes, viceſque ruris.
Adeſt ecce Senex, gregis Magiſter:
Iunior ſeniore Patre tantum.
Adeſt Vpilio minoris æui;
Iam nunc ora gerens arata rugis:
Bobus emeritis adeſt bubulcus,
Natorum Pater ipſe iam duorum.
Ingens turba domus adeſt Nepotum,
Auito docilis labore in annum
Frugem quærere Patris, aut aratro,
Aut ligonibus, aut bidente fortis.
Tum promiſcua dona ruſticorum
Omnes omnia congerunt eodem:
Paruum ex ore lupi hædulum receptum:

Et morſu exanimem lupum Lyciſcæ:
Latratu lepores canum fugaces
Actos in teretes plagas, & ipſo
Excitas capreas leues cubili,
Aut damam pauidam, aut aprum paluſtrem.
Cortis illa crebras piget referre,
Crœſi diuitijs beatiores.
Hac cum compare diſcolore compar
Lucis multicolor columba guttis;
Mutuis init oſculis amores:
Illac pingue trahens herile gallus,
Ferri vulnere, non amare doctus,
Noctem luminibus videt peremptis.
Gemmatum replicat ſuperbus orbem,
Et fictus Volucer refectus Argo.
Menſæ delitiæ ſuperbiores;
Guttatæ Meleagrides ab vſque
Indis, vt memorant, modò expetitæ,
Pluribus temerè in locis pererrant.
Turtures veterem gemunt querelam:
Riuulo natat anſer in ſecundo:
Limum ſcalpit anas, vel amne gaudens,
Natatus imitatur anſerinos.
Ruſpatur Volucer rubente criſta,
Attollens caput arduum: gregique
Granum oſtentat ouans humo refoſſum.
Sub alas crocientium parentum
Currunt agmina longa pipilantum,
Seu quid intonuit nitente cælo:
Seu gyro propiore lapſus auras
Deſignauit, auis timenda, miluus.
At vulgus pauidum cuniculorum
Amaros modò ruminat lupinos:

Te-

Territum modò perſtrepente quouis,
Quà breuis via, diffugit repentè.
Hæc heri mihi præbuit benignè
Verni gaudia Iuliana Cæli;
Linterni ſinus: exulis ſepulcrum
Ingratæ Patriæ neganti s oſſa:
Omnium domus elegantiarum.
At tu lentus abes: famemque mundam
Paſcis inter opes inops, ſonoros
Crateris procul audiens fragores:
Neſcis interea periculoſi
Plenos ludibrij meos tumultus;
Neſcis: cum Libyco reflante, ludum
Funeſtum prope debui procellis.

Ad vitam Ioannis Vincentij Pinelli Paulo Gualdo Autore conſcriptam.

IAMBICVM.

O Paca pinus, & vetuſta, nobilis
Gnidi, Paphique ſylua, ſibilantibus
Comis ſonora; ſic ſuſurrus ingruat
Tepentis aut fauonij, vel arduis
Serenus auſter implicata brachijs
Volutet vſque ludibunda murmura;
Beata ſic perennitas aquæ tibi
Amica ſemper obloquente ſibilo
Comæ volumen humidum reſuſcitans;
Amænitate fertili riget nemus.
Vt hinc & inde pinea grauis nuce
Gemas, onuſque ſuſtinere vix queas.
Dige, ſalubre Cypridis nemus domus,

Li-

Digitized by Google

Liguſtici perenne robur Imperi.
Quod & benignus educat Gnidi lepor:
Quod & leporis aura Paulus educat:
Superſtitatque, ſoſpitatque ſortibus
Tuis, ſuiſque Paulus vnus omnium
Quot & fuere, quotque ſunt eruntque poſt
Amœnitatis inſtar integellulæ
Amoris, & decoris, & ſui ſequax,
Tenaxque veritatis, & boni tenax:
Vige: vigebit aureus ſimul decor:
Vige: vigebit elegans ſimul fides.
Datura frigus hoſpitale poſteris;
Domus virentis vſquequaque textili
Reflexa fronde: ſiue littoralibus,
Maritimiſque floreum leporibus
Cubile per benigna garrientibus
Vt ante ſemper apparare geſtiet.
Alumna ſeu Cytheris euocauerit
Liguſticaſque Romulaſque gratias
Iocis remixta Lydijs & Atticis.
Tuos ad hoſce ceſpites frequens ego
Meuſque Paulus, ingeni grauis lepor:
Tuos ab vſque regia Cypro ſatus,
Ab vltimaque Pineos origine
In hoc cacumen editos, in id decus,
Redordiemur inuicem: modis ego:
Vt vt, libebit, ille ſiue libera,
Seueriore lege, ſiue mauolet
Rotundiora verba dulce voluere,
Vtroque mirus artifex tui memor.
Vigebis vſque. ſpondet id Gnidi Charis:
Et hic vigebis: in ſodalis hortulis:
Loquente ſemper irrigata riuulo:

Vt

Vt] alba poſcit, alba reddit vt fides.
Et exarata litteris fidelibus,
Sodalitatis indices notas geres:
Meane ſtirpe lætiore creuerim
Tua ne Paule culte diligentia;
Amica Pinus ambigo. Sed hoc liquet.
Quod interire poſſet: id dedit genus:
Quod interire neſcit hoc Amor dedit.

Pentametri

De Arbore aquoſa Canariæ.

FRAGMENTVM

OCeano in magno, qua Thetis alma iubar
Excipit emeritum, littus in Herperium
Septa fluentiſonis Inſula vergit aquis,
Vnica de ſeptem; ſors quibus ipſa ſuum
Conſulit antiquis nomen ab Elyſijs.
Vndique Cæruleo Doris amara freto
Aſſonat: & circum brachia curua dedit:
Ipſa tamen nullo fonte rigata ſitit.
Intus aquæ nullum ſuſile munus habet.
Non illam facili deuia limpha lacu
Permeat herboſis vndique cincta toris:
Nulla ſupercilio ducta per arua iugi
Serpit inexpletis vnda voluminibus.
Nec plumbi longos iuſſa ſubire tubos
Exprimit, & dociles eiaculatur aquas:
Nulla nec ingenuo fonte recentat olus
Semita diſcretis ambitioſa vijs.
Quin etiam pluuio cum Ioue terra madet:

Om-

Digitized by Google

Omnis & a nymbis ſpumea ripa fremit.
Hec tamen æterna deficit ora liti
Arida quo ritu dicitur eſſe Pharos:
Non magis Aſſyrio cum furit igne leo:
Mitis & Autumni dolia plena tument:
Quàm cum vere niues Sole tepente fluunt:
Quàm cum bruma nigris ſtridet aquoſa Notis.
Inſula quis dubitat quin peritura foret
Solibus aſsiduis vſta, liquoris egens?
Ni Deus inſolita mirus ab arte lacum
Penſilis arboreum ſuppeditaſſet aquæ?
Mira cano: teſtis fama: nec ipſe fidem
Abrogat immenſum Nauita menſus iter
Qua mare cæruleum naue Columbus arat.
Ille refert Mynijs æmulus, ille rate
Aequor Iaſoniæ Typhis obire celer:
Et quibus Oceani cingitur illa vadis
Inſula fortunæ, fontis,& amnis inops,
Et quibus e venis ſuggerit humor opem.
Perpetuis longè terra recincta iugis
Tollitur, ambitum verberat vnda latus.
Ardua quæ primo condit in aſtra caput,
Dein facili cliuo vallis ad ima redit
Vallibus, & campis, & nemoroſa iugis.
In medio ſedes, vbere læta ſolo.
Nec pecoroſa minus limite ducta pari
Planities lato funditur æqua ſitu:
Tanquam ex dimenſa concaua forma loco eſt
Et caſtigatis vndique ſedet agris
Stirpibus æternis, arbor opaca venit
E fundo, celſo vertice, fronde recens.

Reliqua deſiderantur.

LY.

LYRICORVM BERNARDINI STEPHONII ODÆ

Ad Puerum IESVM & Virginem Matrem

ODE I.

SI non ebrius ardeo,
Nati dulce decus; diſperеam, Parens.
Si non Virgine vulneror,
Matris dulcis amor, diſperеam, Puer.
Tu flamma Genitrix noua
Et candore animis imperitas nimis.
Tu vultu nimium potens,
Vagituque puer ſcindere pectora,
Nato terna tuo, Parens:
Matri terna tuæ dona, Puer, cape:
Matri redde tuæ, Puer,
Nato redde tuo dona, precor, Parens.
Pignus ſumite vulneris.
Quicquid de lybicis cogitur areis:
Quicquid littore de rubro:
Quicquid congeritur mercibus Indicis:
Theſauris opulentior
Perſarum, ex animo deſpicio libens,
Veſtra dote beatior,
Et vos præter, opis nullius indigus,
Si vos poſsideo, libens
Optarim dominam pauperiem pati.

Tu

Tu tantum Iure potentiùs :
  Quæ non vlla dies ſpicula pectore
Euellat, Puer, imprime.
  Quin hæc ſint etiam pignora ſauciæ
Mentis : ſi dubitem mori ;
  Si non veſter amem viuere ; deneger,
Exſpes commercar mori,
  Et vix ſle meis ludibrium hoſtibus.
Si non praua cupidinis
  Eiuraſſe iuuet principia, & ferum
Si non ingenium edomem :
  Et ſi colla tuo ſeruitio negem ;
Si non mollem animum nimis
  Informem ſtudijs aſperioribus ;
Dura compede vincias
  Imbellem, & Domino proſubigas pede !
Tantum fige medullitùs,
  Et noſtris itera vulnera cordibus.
Ni tete oſsibus implices :
  Ni mecum ſubeas, magne Puer, graue
Non ſim ferre potis iugum.
  Quin hoc quod valeo, ſi valeo, tuum eſt.

Ad Puerum IESVM.

ODE II.

HOrridi cultor ſtabuli, nitente
Ore qui Diuos retines nitentes,
Optimum rerum Puer, & Parentis
          Læta voluptas.
Si fuit noſtri tibi vita cordi :
Si mihi rerum, ſine te, beati

Ri-

Riſit, & pulcri nihil: o roganti
Annue felix.
Vt tener duro recubas ſub antro!
Vt doces primos iterare queſtus
Deuium mentis ſpecus, & rigeſcis
Omnium egenus!
Sic tuo Vati liceat ſuperbas
Nec domos regum, nec amare regnum.
Ah pudor ſeruum, pudor eſt, nitere,
Paupere Rege.

Ieſu infantis exemplo Præferendam diuitijs paupertatem.

ODE III.

QVid vagientis numina paruuli
Poſcam? quid orem, thura capacibus
Fundens acerris? non feracis
Aſsyriæ, lybiæq; meſſes.
Non finiendos Oceano vltimo
Agros, nec aurum diuitis Indiæ:
Nec regna Perſarum, nec Aulam
Mygdoniam, Phrygiamque gazam.
Regnet beatus, quem ter, & amplius
Anno remenſum Carpathium ſalum
Expellit extremos in orbes,
Immemorem patriæ, cupido.
Qui prælian tes fluctibus Africos
Spectaſſe durus: qui trabe naufraga
Quæſiſſe terram: qui tumentis
Iura poteſt meminiſſe Nerei.
Me prima diui gaudia pauperis

In-

Infantis, antrum: me ſtabulum iuuet:
Me Matris hærentem papillis
Mente iuuet coluiſſe pura.
O macte duram pauperiem mihi
Pulchre dones, o precor aſpero
Me fingere cultu: te beatus
Paupere, diuitias recuſo.

Infans Ieſus exprobrat pectoris humani duritiem.

ODE IV.

HAurires auidus ſi mare Caſpium,
Nutriſſetque iugis tygris in auijs,
Si te Scylla tuliſſet
Monſtrum Sicanij freti:
Me brumæ gelidæ, me tamen aſpero
Proiectum Boreæ flebilibus modis:
Me ſub nocte cubare
Plorares lacrymabilem.
Audis vt Borea tecta remugiunt?
Vt bruma poſitæ conglaciant niues?
Vt ludibria venti
Voces aëre differunt?
Ah pugnare Deo deſine peruicax
Inuiſam Superis pone proteruiam
Et frigentis amores
Tandem reſpice Numinis.
O quamuis rigidum robora vinciant,
Et duri ſilices cor tibi muniant:
Tandem flectere noſtro
Fletu, flectere contumax.

Non

Non vt corda tibi, membra rigent mihi;
Sed finxit tenerum Virgo tenerrima:
Sed ſunt corpora blando
Infanti puerilia.

Ad Puerum Ieſum & Virginem.

ODE V.

MAtris dulcis honor, Puer:
Nati dulce decus, Mater amabilis.
Vtriuſque iubet nitor
Me veſtris animum reddere amoribus.
Vrit me Pueri calor,
Et pectus pario marmore purius:
Vrit Virgineum decus,
Et candor cupido lubricus aſpici.
In me quicquid ab vbere
Patris mente fluit, non patitur dies
Segni deterere otio:
Non auſus animo concipere impares.
In me ſuauè nitens, diem
Victurum tenebras inſerit; aureis
Vt mox aſſerat Inſulis
Mentem Virgo graui pondere liberam.
Huc ritu manus annuo
Huc de more feres thura benigniùs;
Hic votiue Deo triplex
Me nexu triplici liberet hoſtia.

Digitized by Google

Ad eamdem Virginem.

ODE VI.

DIc age, per tuum te
Filium, quæſo Genitrix, quæ tibi mens fuit? qui
Senſus? vt irrigatum
Diua vidiſti roſeo rore Deum? vt gementem?
Vt lacrymis obortis,
Matris amplexus cupidæ flebiliter petentem?
Implicituſque collo;
Lacte materno maduit: purpureis labellis
Vbera dia preſſans.
Non tibi moris ſoliti: non tibi, remur, iſſe
Et lacrymas, & almo
Gaudium fluctu ſolitum: dum liquefacta currũt
Numinis hauſta flammis
Corda: dum nati queruli Diua doles dolorem:
Dum gemitus tenelli,
Et Dei riſus faciles aſpicis, vna bino
Vulnere tacta Mater,
Non ſatis credo gemino tùm iaculo fuiſti.

In Die ſacro Pentecoſtes De Spiritu Sancto.

ODE VII.

O Flamma motis incita nubibus;
Præſens vel aſtris aſſerere aureis
Humi iacentes, vel ruina
Vertere præcipiti ſuperbos,
Quæ lapſa cælo nubila diuidis

Igni coruſco, quæ ſtrepitu tonas
Clemens ſonoro: tu pauentis
Clauſtra domus quatefacta pandis.
In ſumma linguis verticis igneis
Depaſcis ardens, multifida face,
Crines pererrans: tu rubentes
Igne comas ſinè fraude lambis.
Te Roma bellis aſpera, te Scithæ,
Te Dacus horrens audijt: & vagi
Paſſim Geloni, te rigentes
Maſſagetæ, horribileſque Parthi.
Tu corda grato vulnere ſaucias:
Tu læta mæſtis, triſtia temperas
Lætis: reluctanctes tenaci
Tu cohibes animos catena.
Te dura mollis: mollia te rigent
Durante: curarum eluis efficax
Amara: largè te fluente,
Corde gelu ſcythicum liqueſcit.
O diſſidentes fœdere mutuo,
O necte Terras, o calcant tuo
Amore rurſus; & rebelles
Tange precor meliore tæda.
Heu heu cicatricum pudet: & pudet
Aetatis eheu. quid ſcelerum (nefas!)
Aetas reformidat nefaſta?
Quidue metu ſuperum iuuentus
Audax inauſum linquimus? a quibus
Timetur Aris? O vtinam noua
Incude diffingas cruentos,
Quos rabies animos acerbat.

Ad Puerum Ieſum.

ODE VIII.

O Matre pulchra Virgine pulchrior
Seu tu querelas, ſeu lacrymas cies,
Seu matris admotus papillis
Lacte mades niueo, Puelle:
Eoa lætus munera ſeu capis,
Seu vinctus arcta brachia faſcia,
Dulci reluctaris ſopori
Seu Mariæ pia cura dormis.
Quocunque tandem prima puertiæ
Momenta fallis nomine, Victimæ
Vocatus adſis: cernis aras
Thura pijs adolere flammis?
Non tu, rigenti membra licet gelu
Findantur, Infans, nectere negligas
Feſtiue crines, quæ colore
Texitur e triplici corolla.
Nec (dura quamquam pectore ſtat ſilex
Aeriſque firmant robora ſupplicem)
Spernetur. Aris deſtinata
Hoſtia, te feriente, cælo.
Tu, dulce tormentum, puer, admoues,
Flammaſque duris: te lacrymæ fluunt
Soluente largè: te liqueſcunt
Dura, faces adhibente, corda.

De B. Virginis Conceptu.

ODE IX

V Irgo ſidereæ prima trahebat
Ordia lucis.

Cu-

Cuſtos omnigenum Mater honorum
Gratia riſit.
Mox, vt prona Deam Diua foucbat
Pectore toto,
Libauit teneræ caſta Puellæ.
Oſcula longùm,
Adblandita Parens dulcè nitenti,
Adſuit vna
Dotalis Series gemmea Cæli,
Riſus, Honeſtas,
Immortalis Amor, cumque Lepore
Iuncta decenter
Veſtem multicolor viuida Virtus.
Inde ſolutis
In gyrum Choreis Gratia, mecum
Ite ſorores,
Nec luſtremus, ait, limina vitæ.
Dicite mecum.
Non ſemeſa meæ poma Puellæ
Noxia ſucco,
Non ſæui noceat ſpuma Chelydri,
Vnde nepotum
Labes ducta fluit, nulla Parentum
Nulla Minorum.
Lædant innocuam damna Puellam.
Hæc ego iuro.
Hæc mecum ſtabili fœdere ſancit
Numen amicum.
Ex hac omnis honos Indole pendet,
Omnis Olympus.
Nobis veſtibulum, hoc ſemper habendum eſt,
Protinus ex hoc.
Ibit caſta fides, ibit Honeſtas

De Eiuſdem Obitu.

ODE X.

TExtum Virgineæ nobile vitæ
Teſte Senatu
Diuum, ſanctus Amor fortè ſecabat
Funeris Auctor,
Exercere vices mortis, & æuum
Soluere iuſſus.
Exceſſura Parens, ebria diuo
Ore rubebat,
Binas iuncta manus, verticis auro
Fuſa decenter.
Inſidens habili gloria curru
Alite cœtu
Circumfuſa ſinus picta fluentes
Iride cincta.
Irrorat roſeo lumine tecta
Hoſpita cæli.
Certatim aduolitat vulgus honorum
Aëre pendens.
Alarumque cita protegit vmbra
Ora Parentis,
Momentoque leui temperat æſtum
Cordis anheli.
Auctor dum dubitat funeris, vtra
Cuſpide vitam.
Ecqua diſſoluit (namque gerebat
Spicula bina)
Illo monſtra domat pallida fraudum
Numinis vltor:
Hoc pellit gelidos corde pauores

Sua-

Suaſor honeſti.
Hoc,hoc fortiùs hoc vtere, dixit,
Gloria telo.
Hoc quo ſemper agis laudis amores,
Confice matrem
Hoc, quo vita poteſt, digna perire eſt.

SIGNVM MAGNVM APPARVIT IN CÆLO.

De aſſumptione Virginis Deiparæ,

ODE XI.

EN quid hoc? flammas celer imminentes
Vibrat hinc illinc agitatus ignis,
Et vices aſtris alio videmus
Ordine figi.
Vnde? quo? mundi reuoluta ſertis
Cælites toto cöeunte cœtu
Signa? quam ſedem cupido requirunt
Sydera motu?
Si quid in terris ſcelerum tumeſcit;
En dabit fraudi caput expiandæ
Terra, quo ſontes inimica luſtrat
Sanguine ciues.
Fallimur? longùm titubauit Atlas,
Ter quater pulſo retulit ſonorem
Littus Aegæo, patuitque magni
Limen Olympi.
Geſtiunt orbes: glomerata tantum
Aſtra conturbant nimium ſoluto
Gaudio: forſan licuit relicta
Sede vagari,

Illa, quæ cætu medio refulget
Quas agit partes ? quibus aucta donis
Cæteris maior : minor ante ? quantum
Inſtar in illa eſt ?

O quibus Cælum fuit ante curæ
Annuó deinceps iterare curſu ;
Dicite, an cuiquam ſuperum iuganda
Ducitur Vxor ?

Num ſibi tantis emit ille donis
Virginem coniux ? fuit ille Nupta
Dignus, & tanto fuit illa digna
Nupta marito ?

Entheos circùm redimita crines,
Signa quæ lambunt, niſi fallor, ardens
Gnoſſiæ ſertum fuerat coronæ,
Nobi'e ſydus.

Et quod obſtantes ſecat ante nubes ;
Et viam ſignat iubar, anne certas
Pronubæ partes obit, & minorem
Iri marita

Iuſſit auroram ? fugit ipſe victus
Lucis aſpectu ſinuoſus Anguis
Mille mæandros retrahens, ſinuque
Lubricus errat.

Tuque qui rebus reuocas colorem,
Aureum mundi decus, vnde Phæbe
Iuncta germano temerè accidentes
Colligit ignes ;

Vnde vicinos agitare currus
Ius datum, & ſanctum volitare circùm
Virginis corpus ? quod erit recenti
Sidus honori !

Anne ſic iunctis nituiſſe certum eſt :

No-

Noctis vt poſthac tenebræ fugentur!
Et ſoror fratri comes ibit aſtro,
Ipſe ſorori?
Virgo, cui tantum licuiſſe in orbes
Ipſe Rex orbis dedit. vnde voces
Supplices audis; loca quæ ſereni
Deprimis Axis?
Haud eris viles tamen inter ignes.
Sentiet, terras vbi continentes
Porrigi Nereus vetat: & quod vltra eſt,
Sentiet Aequor.

De B. Catharina Virg. & Mart.

EPITHALAMIVM.

ODE XII.

Vos o Pudoris laurea lactei
Queis prima cordi, Virginis innubæ
Efferte cantu nuptialem,
Virginea ſinè fraude, tædam.
Qua pura, caſto tacta cupidine,
Plaudente cælo Virgine Pronuba,
Vt fas, Alexandræa nupſit
Aethereo Catharina Regi.
Iam clarus ortu Delius aureo,
Afflarat auram lucis, & vltimis
Inſtabat aſtris: iam volumen
Perpetuo fugitiua lapſu
Decliue Mundi ſidera verterat.
Præſente Diuo; cum melius iubar
Ex more longùm ſupplicantis
Virginis exhilarabat ædes.

Conclaue pulſis ilicet intimum
Rareſcit vmbris: hinc magis, ac magis
Exundat, auctu lucis, alma
Irriguum penetrale flamma.
Confuſa fluctu luminis omnia
Dudum tenebris obruta, diſcolor
Diſtinguit examen volucris
In numerum iuuenile Pubis.
Et hinc, & illinc alitis agminis
Secedit ordo; multiplicem chorum
Facturus, & cantu pudicum
Verba ſuper thalamum daturus.
Vt turba iuſſis verſicolor locis
Diſcreta ceſſit; maxima Virginum
Incedit expectata multum:
Quà laterum via ſecta lucet
Proh quantus illi frontis honos? lepos
Proh qualis auræ riſit. Vt entheo
Ex ore magnæ mentis inſtar
Indoleſin ingenua refulſit!
Stellata raro ſidere fulgurat,
Ambitque collum virgineum coma
Defuſa: nec decedit auro
Splendidus ambroſiuſque vertex.
Vndoſa laxo ſyrmate, diuite &
Veſtis paratu cærula, gemmeis
Scintillat aſtris: nox vt olim
Sidereo taciturna peplo.
Aut orbe cum ſe ros tereti legens
Sub ſole primo gramina pernatat
Baccata guttis: & relucens
Mobilibus tremit aura gemmis.
Vlnis Parentis maximus inſidet

Da-

Dauidis Hæres : quantus erat, Deo
Cum magna paruo dona prono
Memnonius dabat ore Ganges.

Vel quantus, exul cum Mareoticos
Vidit receſſus, dum fera detonet
Effuſa tempeſtas Rachelis
In viduas ſinè more cunas.

Nec mitis Infans ſecius interim,
Quamuis inermis fulmine patrio,
Latrantem Anubin, & Deorum
Omnigenûm ſimulacra vertit.

Et clara Patris regna volubili
Ambit rotatu principis ignium:
Auraſque, terrarumque tractus
Temperat, vndiſonumque pontum.

Vultu ſerenus, cæſarie Puer
Flauente pulcher: Sidonio & genas
Suffuſus oſtro: nec tepentes
Ex oculis iaculatus ignes.

Hæc inter omni perdita pectore
Vt cordis expers Regia diuitis
Virgo Canopi dulcè pallet,
Dulcè Tyro rubefacta certat!

At lætus infans, vt genubus ſolum
Supplex premebat, lumine Virginem
Figens benigno, nil moranti
Dexterula releuat iacentem.

Orbemque dextræ vxorius aureum
Inſertat vltro, pectoris indicem
Aeternum amici; nec Parentis
Defuit officium, pauentem

Gratum allocutæ. Te meus hic mihi,
Virgo (vereri deſine) te Nurum

Adlegit optantem minora,
Pollicitus meliora quondam.
Dignata tantis conditionibus,
Dotale cælum, meque ſocrum accipe:
Et te maritam finge diuo:
Sume pares Thalamis amores.
Dixit. Pudicè purpureas genas
Admouit Infans purpureis genis
Et lumen inſpirat decoræ,
Qua pereat Catharina, flammæ.
Ceu nix aprico candida in Algido
Tabeſcit, Auſtris tacta tepentibus:
Sic pectore externata toto
Liquitur, ah ſinè fine, Virgo
Mentem vt recepit, Numinis impotens,
Multum & beatis ebria ſenſibus,
Hæc rara ſingultu Virago
Verba dedit remorata crebro.
Proh ſumme rerum; ten mihi? men tibi?
Cæli voluptas aurea, fœdere
Tanto redonas? qua mearum
Duceris ambitione rerum?
Vt lege nunquam diſſociabilis
Alterna flammæ corda reuincias?
Speraſſè tantum me ne de Te
Et licet, & decet, & neceſſe eſt?
Ergo hanc reſoluet nulla fidem dies;
Non criſpiſulci fulminis impetus,
Non terror iſtantis Tyranni;
Non acies inimica ferri.
Prius ſolutis cardinibus Polus,
Iugis per æquor diſſilietq; prius
Tellus refixis, & labanti

Om-

Omnia diſſidio fatiſcent.
O pulcher adſis: quod ſatis eſt, amem,
Te diues vno, cætera quid morer?
Oſura præ te ſceptra, vaſtæ
Arſinoës potiora Regnis.
Os o paterni Numinis: o vigor:
Dux o leporum fertilis: o bonæ
Obſes ſalutis: o mearum
Dulce decus, columenque rerum.
Hæc ſponſa paucis. Virginis aureus
Sponſæ renidet paruus; & oſculo
E fronte libata receſsit.
Illa iacet pereuntis inſtar
Relicta terris, ſaucia ab intimo
Exhalat ignem pectore: iam ſui
Oblita poſthæc, iam ſuorum
Neſcia, iam moritura Virgo.
Traiecta qualis caprea vulnere
Per luſtra quærit Creſsia vitrei
Fontis liquores: ipſe prædæ
Longè auidus iaculator errat.
Cedente Diuo, cælituum choros
Audit ſequentes, vt thalami fidem
Candore primum, dein cruore
Sanciat, ingenuamque flammam:
Matura cælo, & morte ſuperbior
Vt dona largè diuitis ingeni
Partita, nec Nilo per vrbes
Parciùs eloquium refundens,
Diſerta cælo pectora vindicet:
Vt, qua gerebat ſceptra, manu graues
Geſtet catenas, nil minacis
Heſperiæ veritura faſces:

Nil mille circum ſtructa nouaculis
Quæ vim pararet machina, diſſono
Excuſſa tormento, nec vno
Verbere ſeditioſa in ictus.

Se non niſi Chriſti cunabula poſſe canere.

ODE XIII.

NOlis bella Ducum, Muſa, minacium,
Nec Thracem rigidum, nec mare barbaro
Naupacti tumidum ſanguine, Theiæ
Aptari numeris lyræ.
Nec Belgas animos, Martis & Itali
Nomen Farneſij, qui decus vltimæ
Armis Heſperiæ dum reparat, ſuum
Ne Terræ capiant facit.
Tunc firmis fluuios Vrbibus additos,
Iunctaſque Oceano ſanguineo rates;
Tunc diſiecta canes ariete mœnia
Cum diuo dederis ſatis,
Quem nec ſtramineus dedecuit torus;
Nec præſepe boum, nec dare candida
Ludentem niueæ brachia Virgini
Longa nectere faſcia,
Iratum immemorem ſcilicet: eminus
Abiectis facibus fulminis alitis:
Fletus, exilium, pauperiem, gelu,
Et vulnus docilem pati.
Num tu quas Oriens diues, & Occidens;
Num quas diuitias congerit India,
Permutare velis Regis amoribus,

Et

Et vultu pueri Dei ?
Vel cum dulcia declinat ad oſcula
Ceruicem timidè rapta Parentibus .
Vel cum dulcè querens triſtia Virginis
Spirat gaudia pectori ?

De S. Auguſtino.

ODE XIIII.

ADſit, ſidereæ ſi quis originis
Non oblitus, amat findere nubium
Tractus, & propius viſere nectaris
Quà vis vberis emicat.
Illi quippe dies voluitur aureus;
Omnes qui volucri mente per exitus
Puri largiflui, perpetui boni
Libat mellea munera.
Vt cum ſole nouo florea gramina
Primas veris opes depopulant apes:
Cum carpunt caſiam, cum thyma demetunt;
Cum thymbræ lacrymam legunt.
Et iam rore graues atria cerea
Conſtipant alacres nectare roſcido:
Gratum feruet opus: ſpirat odor: fauis
Manant mella liquentibus.
Haud doctas alio munere litteras
Hic, cui feſta dies exoritur, beat.
Illi non alijs ora liquoribus;
Mores non alijs fluunt.
Tantis ille madet iure leporibus;
Quem dulci penitus vulnere ſauciat
Quauis Chriſtus amor dote beatior,

Quo-

Quouis nectare dulcior.
Ergo te meritis laudibus efferam
O indeficiens copia luminis,
Rerum principium, terminus omnium,
Et Vis, optima Trinitas.

De eodem S. Auguſtino.

ODE XV.

QVem Virum grato modulata cantu
Mentis interpres celebrare ſumis?
Aureo dices ſuper aſtra vectum
Ardua curru.
Seu per obſtantes nebulas, & ignes;
Seu per vndenos volat acer orbes,
Atque ter terno ſuperos pererrat
Agmine campos.
Siue ſupremum propiore penna
Ambit æterni ſolium Parentis;
Maior, ac maior, iubariſque fontem
Ebrius ardet.
Fonte quo poto ſubeuntque vires
Viuidæ in venas, ſubeuntque flammæ:
Digna quæ cælo patriíque moris
Pectora fingant.
Vndè mox tantus ruat, & profundo
Ore deuoluat noua verba; quantus
Monte decurrit niuibus ſolutis
Turgidus amnis.
Siue manſuris monumenta ſignis
Poſteris ſacrat, memorique Mundo;
Siue per centum populos refundit

Flu-

Digitized by Google

Flumina fandi.

Siue cum terris pia iura dictat:
Siue cum reddit ſua ſæcla cælo:
Multa cęleſtem ſuper aſtra cycnum
Euehit aura.

Te, Pater, ſemper meritò canemus:
Teque par magno, ſoboles Parenti:
Teque par patri, ſobolique magnę
Halitus ingens.

In Laudem S. Thomæ Aquinatis

De Sapientia.

ODE XVI.

DIua, dux laudum numeroſa centum;
Mater Inuentrix opulenta Veri;
Mentium cultrix, Opiſex decori;
Vber honeſti,

Viſe, Virtutum Dea læta ſœtu:
Viſe Syrenum, tua templa, ſedes:
Siderum Cuſtos, Domitrix profundi;
Terror Auerni.

Huc ades, Vitæ lepor, hic tuarum
Magna pars laudum canitur per aras:
Serta biſſenis vbi clara gemmis
Texit Aquinas

Laudis acceptæ memor, & ſalutis
Cælitum Syren generoſa partu
Mille Maiorum memorata ſeſtis,
Mille Minorum.

Aureum Cælo caput e ſereno

Eſ-

Eſter, & præſens tua dona diſce:
Si tuum felix opus eſt perennis
Gloria Thomæ.

Conde te centum veneranda templis
Conde te doctis propior lycæis,
Quanta te Diuo dederas, daturo
Sidera terris.

Ille ſi mundum Duce te per omnem
Vaſtus immenſum peragrauit olim
Ambitum rerum, tumuitque pleno
Numinis hauſtu.

Vnde diuini ſpecimen Decoris
Detulit nobis, reſerare veri
Gnarus arcani ſpeciem, profundo
Pectore diues.

Numen vt demum numeretur vno.
Numinis cenſu; Genitor, parenti
Natus æquæuus, per vtrumque currens
Mutuus Ardor.

Vna diuinæ tribus auræ mentis:
Vna mens auræ tribus efficacis;
Aequa dos veri tribus, æqua pulchri,
Aequa vigoris.

Fræna qui picti moderatur orbis:
Gemmea in Cæli dominatus Arces,
Florea in Terræ populos iacentis:
Spumea, in vndas.

Alitem hinc cæli ſeriem noueno
Diſſerit cœtu, triplicemque nexum
Ter Dei circum ſolium recenſet
Pubis honoræ.

Quæque conuerſo in iubar ore, ſummi
Regis ingentes inhians amores

Po-

Potat : & plauſis pudibunda pennis
Protegit ora.
Quæque cæleſti famulata cauſæ
Regis ad nutum properè citatis
Inſidens flammis animas minoris
Educat Orbis.
Inde quo pacto ſcelus expiauit
Natus & terris mediuſque cælo;
Patris interpres Deus, & Dauidis
Maximus Hæres.
Signa tum veræ ſequitur ſalutis:
Queq; traiecti lateris Virago
Fonte ſepteno ſitienter haurit
Gaudia vitæ.
Vt ſalutaris, noua mater, aura
Incubans vndæ, ſcelus omne debet:
Siue quis noxis proprijs laborat;
Siue paternis.
Mentis vt vires acuat Paleſtræ
Vnguen: & nexus animæ relaxet
Sontis, & feſſæ bene commodata
Aure Sacerdos.
Quid maritales Thalami, quid anceps
Exitus vitæ, melior quid Ordo,
Caſtus e Templis, quid amet ſalubri
Fruge petita.
Docta dein pangit documenta morum:
Limes vt recti per vtrumque finem
Ducat ad veræ monumenta laudis
Pacis alumnus.
Nilus vt ſeptemgemino per omnem
Ore digeſtus Phariam, refundit
Quicquid ignotum caput vſque eois

Fun-

Digitized by Google

Fundit ab Indis.

Qualis arguto per amica rura
Artifex mellis volitans labore
Libat Hyblæos populata ſaltus:
Libat Hymettum.

De Eloquentia eiuſdem.

ODE XVIII.

ARtium Cecrops operoſus Author
Filium Maiæ docilem loquelæ
Finxit: albentes imitatus Indo
Marmore vultus.
Multiplex illi fabricata flexu
Ore fundebat placido catena
Flaua muſææ religata nodis
Vincula linguæ:
Propter addenſa Populus corona
Stabat affuſus: ſua quiſq; circùm,
Aure ſuſpenſus ſitiente, fulua
Vincla trahebat.
Nempe quod cantu tenuiſſe lyncas
Fertur, & ſurdas animaſſe quercus:
Vocis hæc miræ monumenta Cecrops
Extudit auro.
Magna quæ Graijs licuit, licebit
Monſtra mentiri? Grauior Latinis
Ingeni vis eſt. ſimulacra monſtris
Addere neſcit.
Nec licet ficto temerare verum
Maius en ficto, & melius beatæ
Copiæ flumen, tibi, quale Thoma,
Certat Hymetro.

Gra-

Grata ſed centum tibi Templa Syren
Vrbe cum tota monumenta miræ
Gaudeat linguæ poſuiſſe, nec dum
Feſſa quieſcat.
Ponat, & Graijs potiora ſignis;
Vſque gemmatis cumulentur Aris
Dona, dum magnis meritis minora
Dona rependat.
Ore te pleno melius tonantem
Audijt Lingon, genus acre bello:
Audijt fratrum docilis Quiritum
Aedua pubes.
Amne quà leni Liger inquietas
Præterit centum popularis Vrbes:
Sceptra quà Belgis inimicat acri
Sequana bello.
Arua quà fluctu Rhodanus ſtrepenti
Ditat exundans: ſola quà ſonorus
Radit altricis pecoroſa ripæ.
Fonte Garumna.
Audijt ſi quis gemino refuſus
Adriæ fluctu latiale Romæ
Aequus, & Regnum colit, & verendum
Numen adorat.
Salſa quà pellit vada Tauriformis
Præ Padus miſſo violenter æſtu:
Qua Pado ſpumat minor amne, maior
Nomine Tybris.
Turgidus quamuis Aniene poto
Arcibus ſeptem minitatus, vndas
Digerat latè vagus, & repulſo
Ponte ſuperbus.
Quà bonum Liris ſata læta lambit;

Læta

Læta dum lambit, niue dum remiſſa
Spumat, heu fœdam illuuiem minatur
Auius Arpis.
An ſalutaris memorem loquelæ
Lacteum doctis caput in Lyceis?
An ſui probrum iaculata ſæcli
Fulmina templis?
Quanta nec Codri Prytanæa circum
Graius Orator tonat in Tyrannos:
Quanta nec Graiis Cicero inuidendus
Fulmina vibrat.
Siue virtuti meritos honores
Inter Heroas patriis in Aſtris
Ille decernit: facilemque caſtis
Pandit Olympum.
Siue liuenti Phlegethontis vndæ
Deſtinans fontes, animæ regreſſu
Arida effoſſis recalere monſtrat
Oſſa ſepulchris.
Multa cæleſtem rapit aura Cycnum
Cærulum Mundi ſpatium retexens,
Dulcè plaudentem ſuperum triumpho;
Dulcè canentem.
Voce, qua tandem recreata virtus
Extulit terris caput, & Quietis
Iure fundato, per amica duxit
Oppida Pacem.
Vidit inuiſæ reuocata Diuæ
Sceptra, Cocyti Dominus profundi:
Vidit, & frendens furialè, centum
Subdidit angues.

De

De Iuſtitia S. Thomæ.

ODE XVIII.

AVreus Recti tenor, æqua Virgo,
Lance quæ iuſtas gemina rependis
Criminum pœnas, & honeſta dona
Præmia laudum,
Orbis illuſtra propioris oras,
Lene quà ripas fugiens recentes,
Surda Sebethus placido volutat
Flumina lapſu.
Diua, iucundo metuenda Thyrſo,
Auſtrias latè dominas ſecures
Poſſidet virtus, & amica Cælo
Otia fecit.
Otio gaudens (memini) cruentas
Cæde liquiſti tremefacta Terras:
Finxit vt ferrum furioſa in enſes
Ferrea proles.
Corde depellas pauido timores:
Iam gigantei ſtrepitus tumultus
Sedit, & Ianus poſitis ſolutus
Accubat armis.
Auguror: morum noua ſæcla priſco
Ducis ex auro: placidi leonis
Sidus Aſtrææ comes en ſerenum
Pandit Aquinas.
Teſtis integri, Dea, flamma cordis,
Qua tuum terris patefecit æſtum
Luteo nubes dirimente ſulco
Mentis honeſtæ.

Pone

Teſtis & Thomæ fuga, pertinaci
Ponè te curſu properans citatis
Ocyor ceruis, agitante nimbos
Ocyor Auſtro.

Ille te propter calidæ iuuentæ
Illices fraudes, & auita longè,
Partium felix iuuenis tuarum
Regna reliquit.

Auſus & terras alio calentes
Sole mutare, & tolerare vitam
Aſperam cultu, puer ah paternis
Exul ab oris.

Laudis hinc auctu, duce te benigno
Munerum diues Iuuenis tuorum,
Creuit æternum Superis in æuum
Vſus amicis.

Arbor ad lætas ſita ſic ſecundi
Fluminis ripas, propiore Cælo
Aucta, baccarum grauat affluenti
Vbere ramos.

Dote qua Syren animoſa tantum
Extulit claras caput inter vrbes:
Lucido quantum glomerata fulget
Agmine Phœbe.

Hic Aquinati tua dextra telo
Vindicet fraudes: vbi dextra fulget
Additum templis decus, & lycæis
Præſes Aquinas.

Iuris Antiſtes patiens vocari:
Hic ames dici Dea magna Recti:
Neu ſinas crimen volitare inultum
Auſpice Thoma.

De

De Fortitudine eiuſdem.

ODE XIX.

VEra quem virtus popularis auræ
Rite ſemotum ſtudijs & otj
Aſpero finxit ſine fine cultu
Mentis honeſtæ;
Ille luctantes pelago procellas:
Cum minax fundo ruit Eurus vndas:
Ille nudato iugulo imminentes
Rideat enſes.
Quem nec ardentes fremitus Chymæræ
Nec Gyges centum geminus lacerto
Terret, aut ramoſa nouo fatigat
Excetra fœtu.
Mille circumſtent peditum cohortes:
Mille ſe fundant equitum procellæ:
Diſsidens Medo ruat hinc Phraates
Indè Gelonus.
Quippe quod dia ſemel hauſit aura,
Vrget incœptum bene deſtinatum
Pugna quà feruet vaga, quà timendum
Fulgurat haſta.
Vidimus quanta violens Tyrannus
Cede mærentes temerarit vrbes:
Vt ſemel cæcas ſtimulauit iras
Aemula virtus.
Debitum cælo genus eſt & ille
Fortis, inuicto Dea, cui pudore
Integrum munit melius Minerua
Aegide pectus;

Nem-

Nempe te talem memores ad Aras
Virginum primæ, Iuueneſque caſti
Efferunt Thoma, reſonatque latè
Aurea Syren.

Prima cum mentis tibi forma riſit;
Viribus pectus rigidis obarmas
Victor in flammas, medius iturus
Victor in enſes.

Scilicet largo miſeranda fletu
Mater hinc ſupplex, ſoror indè paſſo
Crine te longa tenuit querela
Pergere certum

Sancta qua Virtus iter inſtitutum
Monſtrat, & ductu potiore mentes
Aureo Diuum numero redonat
Auſpice Chriſto.

Mater, ah fruſtra peritura, dixit
Crebra ſingultu. Periture fruſtra
Nate, quo pergis, requies caducæ
Sera ſenectæ?

Cura ſic mæſtæ tibi nulla Matris?
Vile ſic vulgus ſumus omnis Aula?
Patriæ dulcis, Patris ah ſepulti
Fluxit imago?

Laude qui multa titulos auitos
Auxerat multa vacuos Penates
Prole fundauit tibi præter omnes
Deditus vni.

Vnicum Regni columen Paterni:
Semen inuicti genitoris, Aulæ
Diſce fortunam bene ferre, nulli
Degener Hæres.

Crede non totum ſibi quemque naſci.

Digitized by Google

Prima pars noſtri referenda Cælo:
Alteram nomen patrium repoſcit:
Tertia noſtra eſt.
Nil moror, Cæli puer omnis eſto;
Si nihil Patri, Patriæque debes.
A tuis ergo fugitiuus exul
Sidera quæres?
Quære: tantundem niſi diſtat aſtris
Arduis Tellus, vbicunque deges:
Nec tuos inter melius paciſci
Numina fas eſt.
Fas erit. Tantùm patiare flecti
Ciuium luctu, lacrymis ſororum;
Patriæ hortatu, pietate fratrum,
Vulnere Matris.
Hic frui Regno tibi iam parato,
Sidus hic optes Patriæ vocari.
Dixit & blandis precibus ſeueras
Miſcuit iras.
Quin & admota laceraſſe dextra
Dicitur raptos humeris amictus.
Ille nec blanda prece, nec ſeuera
Flectitur ira.
Hæret obtutu taciturnus vno
Arbiter mentis: velut inter euros
Quercus Alpinos, velut inter vndas
Fixa Mimallis.

Digitized by Google

De paupertate eius.

ODE XX.

QVis fuit, paruo modò qui beatus,
Antra mox terræ ſub aperta primus
Pallidus curâ ſubijt, reperto
Concolor auro?
Ille dementis pretium laboris
Impios manes adijt, refoſſo
Aere rixatus male quòd foueret
Diues egeſtas.
Ille cum fuluo retulit metallo
Pabulum curis, vitiiſque cauſam:
Ille contraxit peritura lætæ
Tempora vitæ:
Quippe tot pacis, tot amara belli
Primus, & vitæ ſcelus inquietæ,
Sorte felices pretioſa fudit
Damna per vrbes.
Fas vbi verſum; ſceleroſa labes
Gliſcit in maius. nihil irrepertum,
Eſſe nil ſanctum iubet ante ſi quid
Reſtat inauſum.
Pacis o cuſtos, tenuique cenſu
Læta Paupertas ſtudium parandi
Multa quam demens meliora menti
Munera donas.
Dira Te poſtquam rabies abegit,
Semper exſorbens, ſaturanda nunquam
Creuit, & creſcit furiale monſtrum:
Creſcet in æuum.

Hy-

Hydra quàm turba capitum timenda,
Pullulat! quantus crepitante flamma
Haurit Vſticæ nemus, Algidumque
Motus ab Auſtris
Ignis in ſylua male derelictus?
Vel quod eliſæ peperere nubes
Fulmen, accenſum dedit in volumen
Sulfure lucens:
Saxa vel quantus rotat, & trementes
Verberat ripas niuibus ſolutis:
Nec ſatis vaſtos docet eſſe pontes
Turgidus amnis.
Aera quid proſunt Ephyreia? quæue
Lana Phœnicum bis ahena ſentit?
Quid columnarum maculoſa cæſæ
Sylua Caryſti?
Corde ſi nunquam Domini inquieta
Cura decedit, neque ruga mœſtam
Explicat frontem; Phrygiaque Diues
Pauper in Aula eſt?
Audiat, quiſquis medijs in vndis
Tantalus ſiccus perit, abſtinetque
Antè quæſito miſer, abditoque
Pallet in auro:
Audiat Midæ potiora tactu
Dona quærentem, caruiſſe multis:
Plura cum magno rediſſe quæſtu
Sponte carenti.
Priſca quid laudem monumenta? preſens
Extat exemplum iuuenile, mutans
Lydias gazas operoſiores
Paupere cultu.
Neminis Thomas titulum decori

Detrahens amplo, tenuique reddens
Dedocet Creſsos auidos ſuperbis
Vocibus vti.

Quæ ſtat in præſens, bene præparata
Sorte contentus, nihil in futurum
Anxius cura iaculatur æuum,
Fortiter audax.

Atqui honoratas licuit ſecures,
Patriæque Arcis iuga poſsidere:
Quæque diffuſis ſola, Melpha, campis
Pinguia verſat.

Atqui & Antiſtes potuit ſacrorum
Iura Sebetho dare ſupplicanti.
Laude, qua dignus voluit videri,
Noluit vti.

Arua ni centum renouant aratra:
Ni Getas vltra metitur, nec vuis
Præla Lesbois inimica preſsant
Vina pudori.

Si nec aurato Melibæa filo
Squalet intextis variata gemmis
Palla: ſi nullo ſtrepitu Clientum
Atria feruent.

Improbum ventrem niſi concha paſcit,
Et ſcaros iungit, Meleagrideſque
Cratis, & lato quod in eſculeto
Phaſis alebat.

Si nec antiquum ſalebroſa lucum
Limpha prætexit, facileſque ſomnos
Suadet inuitis oculis, ſonanti
Murmure labens.

Pectus at curis vacat expeditum:
At quies omnes animi procellas

Po-

Ponit : at pauper rabidos amores
Placat, & iras .
Alta pax mentem fouet : Aſtra caſto
Corde complexus, fruitur ſereni
Etheris verna ſpecie, vocanti
Notus olympo .

De precandi ſtudio S. Thomæ.

ODE XXI.

MEta nunc laudum teritur . Quid ora
Audior ſeptem ſociare chordis ?
Blanda teſtudo recinas ſerenæ
Otia Vitæ .
Prome, quod plectro memori Nepotes
Inuicem pronas referant ad aures .
Fare, qui Thomæ fuerit benigni
Numinis vſus .
Vnus hic menti labor expeditæ :
Hoc opus caſtis : ea cura cordi
Per ſuos tandem numeros amico
Pace potiri .
Finis hæc rerum : modus hic laborum :
Portus hic vitæ bene iam peractæ :
Hæc redordiri iuuat ad ſupremam
Carminis oram .
Vt ſui pollens peteret ſerena
Arce munitum penetrale cuſtos
Mentis, & curis animoſa magnis
Corde foueret .
Nanque lex vitæ, Dea magna veri
Nacta tranquillum nec inhoſpitale

Pectus, immoto ſuper incubabat
Numine ſemper.
Anxias curas, & inane ſi quod
Gaudium pellit ſine lege ſenſum:
Sancta ſubmorat ſapientis hoſpes
Pectoris aura.
Celſus hoc ritu nebulas ſequaces
Calcat, & raucos ſtrepitus Olympus
Ignis obliqui, pluuiaſque longè
Innubilus arcet.
Sic, vbi prædam rapuit ſatelles
Fulminis, tuta ſedet ales arce
Rupis, & nidum fouet & iacentes
Deſpicit vndas.
Sic Abydenos ratis inter æſtus
Faucis anguſtæ modo prenſa; poſtquam
Exit in lati ſpatioſa victrix
Cærula ponti;
Explicant auræ tumefacta lina
Terga Neptuni; per iniqua rurſum
Aſtra certatim feriunt ſecundo
Murmure Nautæ.
Sic odoratis renouata cunis
Altero phœnix iuueneſcit æuo:
Iamque guttatis Nabathæa tranat
Nubila pennis.
Voce quam circùm volitans ouanti
Alitum examen famulare plaudit:
Illa per fines Arabum repoſtos
Tendit ad Indos.
Qualis, vt ſyluæ latebroſa paſtor
Antra commouit, ſubito columba
Deſerit plauſu paueſacta fixum in

Pu-

Digitized by Google

Pumice nidum.
Mox iter radens liquidum, quieto
Labitur cælo: geminaſque pennas
Tuta delibrat: celeres neque alis
Commouet auras:
Amnis, vt prona irrequietus vnda,
Antequam ſalſum Thetidis cubile
Tangat, & magnum properet tributum
Soluere ponto
Creſcit immenſum, neque verberato
Temperat ponti: ſimul euoluto
Fonte mutauit ſterili virentes
Littore ripas;
Fracta languenti cadit ira fluctu:
Vnus eſt vndis color, ante diſpar;
Perdidit poſtquam fluuius marino
Nomen in æſtu.
Mentis o illas placidè perennes
Ferias: quales ſalis ante brumam
Neſcit Alcedo: licet omne murmur
Concidat vndæ.
Pacis o certæ quoties benigna
Luce gauiſus, rapidas amoris
Perbibit flammas, ſubeunte caſtas
Igne medullas.
Ah voluptatum ſatis, ah leporum,
Dixit, & mellis ſatis eſt ſuperque.
Parce ſperari, mea vita, parce
Malle ſitiri.
Parcis, & dulci morior periclo.
Perge. Cur rapta meliore noſtri
Parte, quæ non eſt melior moratur
Altera Terris?

De Sancto Bonauentura.

ODE XXII.

ADſis, æthereæ ſi quis originis
Non oblitus aues findere nubium
Tractus, & propius viſere, Nectaris
Qua vis promicat vberis.
Adſis: liba ſacris fontibus admoue
Illi, rite ſacer cui lepor irrigat
Mores, ingenium, pectora, litteras
Multo non ſinè Numine.
Illi quippe dies voluitur aureus,
Omnes qui volucri mente per exitus
Puri, largiflui, perpetui, boni
Libat mollia munera.
Nec manant alijs ora liquoribus;
Quam quos mente ſitit, & bibit ebria:
Solers eloquijs ſuauiloquentibus:
Mentes flectere quòlibet.
Nec doctas alio munere litteras
Auctat, quam cupido pectore quod capit:
Nec mores alijs diuitijs fluunt,
Quam queis pectora, litteris.
Vt cum nouo Sole florea gramina,
Primas veris apes depopulant opes:
Cum carpunt caſiam, cum thyma demetunt
Cum tymbræ lacrymam auferunt;
Exin rore graues mœnia cerea
Conſtipant alacres nectare roſcido:
Gratum feruet opus: ſpirat odor: fauis

Cur-

Currunt mella liquentibus.
Tantis ille madet iure leporibus:
Quem dulci penitus vulnere ſauciat
Quauis Chriſtus amor dote beatior;
Quouis nectare dulcior.
Ergo te memori carmine dicimus,
O ſincera boni copia maximi;
Rerum Principium, meta nouiſsima;
Et vis optima, Trinitas.

De eodem Sancto Bonauentura.

ODE XXIII.

QVem Virum grato modulata cantu
Mentis interpres celebrare ſumis?
Aureo dices ſuper aſtra vectum
Ardua curru?
Seu per obſtantes nebulas, & ignes,
Seu per vndenos iter vrget orbes:
Siue ter terno ſuperos pererrat
Agmine cenſos.
Ille ſupremum propiore penna
Ambit æterni ſolium Parentis
Maior, ac maior, Iubariſque fontem
Haurit, & ardet.
Fonte quo poteſubeuntque vires,
Viuidæ in venas ſubeuntque flammæ
Digna quæ Cœlo patrijſque moris
Pectora fingant.
Vnde mox tantus ruat, & profundo
Ore deuoluat noua verba: quantus

Monte decurrit niuibus ſolutis
Turgidus amnis.
Inde manſuris monumenta ſignis
Poſteris ſacrat, memorique Mundo:
Indè per centum populos refundit
Flumina fandi.
Siue cum terris ſua iura dictat:
Siue cum reddit ſua ſæcla cælo:
Siue cum vindex latiæ Thiaræ
Regna tuetur.
Ille ſublimi quoties volatu
Vrbium cætus, ſtrepitusque liquit
Multa cæleſtem ſuper aſtra Cycnum
Euehit aura.
Ille non vultus pauidus minaces
Horreat Regum, licet imminentes
Fulgeant enſes: licet & cohortes
Vndique denſent.
Te, Parens, ſemper merito canemus:
Teque par magno, ſoboles, Parenti:
Teque par patri, Soboliquе magnæ
Halitus ingens.

De Puero Ieſu in ſtabulo

Parodia ex Catullo

ODE XXIV.

PVellus ille, quem Iuuenta cælitum
Obit nitente ludibunda penna
Domos tenere lucidas, & ignei
Deus putatur ætheris: rigenti,

Pi-

Licet gelu, tremiſcat, atque anhelitu
Bouis tepere quærat, atque aſelli.
Rogas quid ille vagiat? quid in ſolo
Cubet puellus aureus, tenellulus?
Rogas triſulca fulmina, & rogas faces?
Amore victus eſt: faces, amoris
Fuere præda: queis ſuperbit inclytus
Amor, tulitque faces & triumphat.

B. Aloyſij Gonzagæ

De Diuino Amore Sententia.

ODE XXV.

PARS PRIOR.

IAMBVS PVRVS.

AMoris igne ſi quis ardet, ardeat.
Vt iſte ſæpe (dicta docta combibi,
Memorque corde denotata diſputo)
Vt iſte ſæpe diſſerebat aureus
Ephebus, igne perbeatus aureo,
Sodalis, ardor integellus integri.
Quod obloquuta dulcibus refer modis
Mei leuamen exili refer, chelys.
Honeſtus, inquit, o ſodalis Eugeni;
Amoris igne ſi quis ardet, ardeat;
Amoris igne nil putem beatiùs.
Amoris igne deperire ſi queam:
Neges perire, qui perit periculo:
Periculoſa nulla amoris alea eſt.

Suo ille nam periculo renaſcitur
Recentiore maior, & recentior.
Et o liceret interire millies:
Feras vel inter vngulas, vel incitas
Rotas ſecante conſitas nouacula:
Vel inter igne fumidos nigro globos:
Freti vel inter æſtuoſa turgidi.
Amoris vt peribat icta vulnere,
Sibi maritat igne quam Puer Deus,
Amore & auſpice, & Parente Pronuba.
Tenes ne mente quid beata flagitet?
Amoris ignis, igne maior infero,
Amore nulla maior æmulatio.
Nec ille tutus horreat trucis minas
Stygis, nec ille mortis. Inſtet, vrgeat
Micante miles enſe, vulneret, ſecet,
Cruenta lancinata membra diſtrahat.
Stat ille mole fixus, & rati tenax,
Vt ante iuris; arduus ſtatu, Deo
Suo fruetur vnicè. manet decor
In ore certus: oris eſt ſuus ſonus.
Pauore nec recedit a cuti color.
Suumque ſeruat ordinem, ſui arbiter
Doloris inter arma, & ampla vulnera.
Laceſſe, nil remordet: adde verbera;
Nihil reponet author innocentiæ.
Grauis, ſacerque Numini canet ſuo:
Cauo ſonant vt ære pulſa cruſmata,
Nec editura ſi peperceris ſonum.
Tumens vt vnda, quo leuatur altiùs,
Eo leuatur altiùs natans ratis.
Premebat vt lagena lumen inſcium,
Quoad lagena læſa non fuit Duci;

Duci-

Duella cui lagena fracta conficit.
Vt vnda littus, inſulaſue Cycladas
Adæſtuante verberat freto cita:
At innocenter, at relapſa ſpumeo
Et hinc, & inde ſaxa lambit æquore;
Vt arce ſummus edita, cacuminis
Caput propinqua in aſtra Olympus inſerit,
Supraque regna turbida, ac tonitrua:
Ad ima montis aggregata murmura
Cohors volutat inquieta ſcilicet,
Sonorque denſus, & faces tricuſpides,
Et ater Auſter, imbriferque Circius,
Niuiſque ſtructor vndecunque perſtrepunt.
At ille calcat & triſulca fulmina,
Iugo ſerenus integro, & nigros Notos
Die liquente ridet, & Polo ſubeſt.
Amoris igne ſi quis ardet ardeat.
Amoris igne nil putem beatius:
Amoris igne deperire ſi queam.

Pars poſterior.

ODE XXVI.

AMoris igne ſi quis ardet, ardeat:
Amoris igne diſplicere ni velim,
Amoris igne nil putem decentius.
Vt iſte diſſerebat ardor aureus;
Ephebus igne perbeatus aureo.
Quod obloquuta dulcibus refer modis
Mei leuamen exili refer chelys.
Vbi illa flamma ſeminata cælitus,
Deo volente, pectus intrat intimum:

Pu-

Pudoris, & leporis intrat Artiſex,
Honoris & decoris intrat indoles.
Vt o per oſsa diuagatur arida!
Vt o beatè, & affluenter irrigat
Hiulca corda rore lucis aureo!
(Modum ipſa nouit) expiata roſido
Vt imbre corda diluit Dei cruor!
Vt igne forma præparata dædalo
In omne laudis emicat ſtatim genus!
Vigoris aura præpotentis incubat:
Saluti s obſes, hoſpitiſque Numinis
Fides perennat, & fidem clientulæ
Amœnulæ, venuſtulæ, decentulæ
Superſtitantque ſoſpitantque Gratiæ.
In aſtra ſenſus euolat: madent genæ
Madet ſinus · benigna vena perpluit
Meraciore temperata nectare.
Ab ore riſus exulat, ſilent ioci:
Inepta verba tempori fugat metus.
In omne tempus vtilis: modeſtiæ &
Seuerioris ordo. Si quid improbè
Vagatur, haud abire ſic dolor ſinit.
Suo æſtimata pondere aut adeſt cito
Inuſta pœna corpori aut rubentibus
Genis volutus eluit notam liquor.
Beatus ille, ſæuiat licet, dolor.
Sed ille dulcis, ille qui calet Deo.
Neges perire, quem perire ſic vides.
Simul per oſsa gliſcit, & medullitùs
Furit nocenter innocens Amor, ſimul
Quod intus igne carpitur, foras fluit:
Fluoribuſque liquitur perennibus.
Vt icta nix in algido liquet die:

In

In ima vallis herbidæ e iugo cadens,
Per ampla rura dirigens opes iugi.
Per hæc amicus aſpici videlicet
Honor niteſcit, indoles per hæc viget
Sequax ad omne munus, & boni tenax;
Pijque & omnem in aleam ſibi obſequens;
Placenſque ſi quid addecet, ſibi imperans:
Parata nulli obeſse, nil reſiſtere:
Subeſse læta: diſcolore gratia
Renidet alma luce, ſiue Cælitum
Oberret aſtra, ſiue Templa ſubdita.
Per hæc amica diligi ſeueritas,
Per hæc honore floret aucta dignitas
Suis adulta laudibus, ſuo potens
Vt obuoluta ſerpit vnda lubrico
Pede, & nitentis hortuli vias obit:
Et hæc, & illa rore læta gramina
Alit, viroris & coloris artifex.
Simul decenter innubæ roſæ rubent:
Simul liguſtra candicant, olent thyma;
Amaracuſque, purpuræque pendulæ,
Siſimbriumque, pubereſque calthulæ.
Olente vere, ſpirat omnis area.
Virente vere, fulget omnis hortulus;
Opella & illa delicata luminum,
Opella & illa delicata narium.
Amoris igne ſi quis ardet, ardeat
Amoris igne nil putem beatiùs.
Amoris igne vel placere ſi velim,
Amoris igne nil putem decentiùs.
Id iſte diſserebat ardor aureus,
Ephebus igne perbeatus aureo.
Quod obluquuta garrulis modis chelys,

Ine

Inepta ne putere; ſi ſapis tace.
Sat eſt. Amore ſiquis ardet, ardeat.

De eodem B. Aloyſio Parodia I.

Sub allegoria Aquilæ quæ cernitur in Clypeo Gentis Gonzagæ.

ODE XXVII.

VOlucris illa, quam videtis, hoſpites;
Ait fuiſſe præpetum celerrima:
Neque vllius volantis impetum fugæ
Nequiſſe prouocare: ſiue turbini
Opus foret præire: ſiue fulmini.
Et hoc negat Parentis vſque Mantuæ
Negare limen, aureumque Mincium,
Tagumque ſplendidum, inclytumque Sequanam,
Boryſthenemque, Romuliq ue Regiam.
Vbi iſta poſt Volucris impigrum fugæ
Adulta corpus, in liquentis ætheris
Domum leuauit, arduumque verticem
Obiuit acta: donec ore punico
Dapem tulit: Medulla quippe cedrina
Adempta ſæpe pauit aliti famem.
Paduſa mater, & Cyliſſa Syluula
Tibi hæc fuiſſe, & eſſe nota prædicat
Tua hæc Volucris vltimo ex Agenore.
Tuo rediſſe dicit e cacumine:
Tuo imbuiſſe rubra roſtra viſcere.
Et hinc reuecta præpeti grauem fuga
Dapem tuliſſe: læua, ſiue dextera
Citaret aura: ſiue pura lumine

Vi-

Videret aſtra: ſiue fœda nubilo.
Sibique vota preter vna pernegat
Fuiſse facta cum rediret a plaga
Nouiſsima hanc ad vſque Tybridis domum.
Sed hæc prius fuere: nunc perenniter
Viget quiete: dedicatque ſe ſibi;
Parens parentis, Ara virgo Virginis.

De eodem Parodia.

ODE XXVIII.

EPhebus ille quem veremur, hoſpites,
Ait fuiſse Puberum integerrimus;
Neque vllius volucris ingeni fugam
Nequiſse præterire, ſiue perſequi
Opus foret reperta; ſiue diſseri.
Et hoc negat ſonantius Platonicæ,
Et ambulantis ad lycæa gloriæ
Negare limen; horridamue Porticum.
Vbi iſte poſt Ephebus: ante vix puer,
Amoris igne perbeatus aureo,
Opes profudit ingeni ſui potens.
Quirina Mater, & Paduſa nobilis
Tibi hæc ait fuiſſe cognitiſsima
Ephebus, acer, inclytus, ſacer, pius:
Tua fuiſſe dicit ex origine:
Tuo imbuiſſe lacte pura viſcera.
Et inde tot per artium volumina
Pedem tuliſſe: ſumma, ſiue ſubdita
Obiret acer: aura ſiue Numinis
Liquore pectus irrigaret ebrium.
Nec vlla vota præter integerrima

Sibi

Sibi eſſe ſacta ; quùm liceret omnibus
Frui benignè ad vſque tempus vltimum .
Sed hæc prius ſuere . nunc beatiùs
Quieſcit Aede conſepultus in tua ,
Amica Virgo , pura flamma Virginis .

Ad Alexandrum Magnum

Adhortatio fidicinis ad expugnandã Hieroſolymã .

ODE XXIX.

REgnator Orbi debite : quæ mora
Tam lenta bello nectitur ? incute ,
Euerte , demolire turres
(Par tibi , par ſuperis) Idumes .
Et iam cruenta debuerat nece
Natare tellus : iam Solymi oſsibus
Alberè campi . contumaces ,
Non ſine Dijs , metuende frange .
Exciſa Thebis mœnia ciuium
Cœſorum aceruos : diuitis Inſulæ
Oras inacceſsas , patentes
Nunc pediti : data iura Nereo :
Tyri ruinam : fulmineam manum
Martis potentem vertere cuſpidem
Victi tremiſcant , qui rogantis
Incolumes repulere fœdus .

Idem Fidicen ad lenitatem.

ODE XXX.

REgnator Orbi debite: qui necis,
Qui tantus ardor ſanguinis? opprime,
Reſtingue flammas excitati
(Par tibi, par ſuperis) furoris.
Non vna Regem laus decet: otio
Princeps, & armis pectora commodat
Alterna: diſpenſatque ſæclo
Mitem animum melius viciſſim.
Sic ille rerum Rector, & Arbiter
Aſper benignus ſorte vicaria,
Motuſque dulces, & ſeueros
Accipit innocuos: minaci
Non vſque torquet fulmina dextera:
Non vſque Cælum nubibus hiſpidis
Contriſtat: alternat ſed aſtra;
Fraudibus, inuidiaque maior.

De Sigiſmundo Poloniæ Rege. Ad Sapientiam.

ODE XXXI.

O quæ perenni lege volubilis
Stellata Mundi mœnia temperas,
Auraſque flammarumque tractus;
Atque fluentiſonos fragores;
Fœcunda veri Mater, & ingeni
Vber beati. Tu volucres dies,

Re-

Regina, perniceſque Mentes
Imperio regis æqua certo.
Tu diſcolori tempora lumine
Vmbrata, claros diſseris ordines
Cælo receptos: tu liquore
Nectaris irriguo remulces.
Te ſemper ambit verſicoloribus
Elata pennis Gloria: te Decor,
Et floris æterni Voluptas,
Atque potens vtriuſque Virtus.
Te pacis almæ mitis Adorea,
Te læta propter copia: dum placens
Effundit ad plenum beato
Vbere diuitias Eleuſis.
Seu te rubentem, Diua, tricuſpide
Flamma: nec vna fraude nocentibus
Terris minantem bella, regum
Heſperiæ venerantur arces:
Seu te lycei mitius hic iuuat
Spectare pugnas, & ſapientibus
Præluſa rixis ſcita rerum,
Atque tuas numerare palmas
Quocunque gaudes munere, lumina
Huc flecte, felix o Sapientia:
Quo te Sigiſmundus ſequentem
Sponte trahit, ſequitur trahentem.
Nec ille doctis cœtibus intereſt
Ignotus hoſpes. Scimus vt indoles
Educta regales per artes
Et Pietas ſuperis amica
Partes in omne officij explicat
Regale pectus, tendere tam citum;
Quam noſse, quà templis honores

Rede

Reddita Relligio reducat.
Rejecta retro teſtis, & horridis
Diſperſa campis Maſsagetum manus:
Nec ſegnibus luſtratus Orbis
Conſiliis glacialis Vrſæ.
Vaſtis ferarum eſt fidere viribus.
Paſsim vagantes ſic temerè Scythæ
Virtute certa dimicantem,
Exitio didicere functi.
Iam nunc pruinas Moſcus inhoſpitas,
Armis propinquis territus, incubat:
Intraque præſcriptum bicorne
Odryſium male ſidus ardet.

In laudem COSMI Medices Magni Hetruriæ Principis.

ODE XXXII.

NVper dum ſimulat prælia ludicra
Princeps Idalio ſydere pulchrior
Floram COSMVS vt almam
Caſtis vrat amoribus:
Illo fortè die vertice in arduo
Apenninus opum largus agreſtium
Amnes montis Alumnos
Feſta detinuit dape.
Hic Arnus vitreo mollior agmine,
Hic germanus adeſt imperioſior,
Flaua deuius vnda
Tybris Dardaniæ potens,
Non Anchiſiadum magna ſonantium;
Non dedoctus adhuc dicere parciùs

Iam

Iam deſueta triumphis
Pridem ſæcla Quiritium.
Arnus cum tumidi Tybridis æmulus
Interfatus ait. Te tua, me mea
Cælo gloria Tybri
Magnis æquat honoribus
Vnum hunc, quem tacitus ducere puberum
Demirare gregem, prætulerim tuis;
Quamuis ordine cunctum
Opponas Priami genus.
Iam nunc ſpes libeat diſcere ſi meas;
En vt ſe teneris lætus honoribus
Primo ſundit ab æuo
Splendor Mediceæ domus.
Cernin qui niueis erubuit genis
Index mentis honos, ingenuus pudor?
Quantum eſt inſtar in illo?
Quanta floret ab indole?
Illo more latus Memnonium rubet;
Primam com roſeis hora iugalibus
Auram lucis adultæ
Aſpirat reſerans diem:
Auro ſic poſitum Phidiaca manu
Olim ſpirat ebur: lilia ſic decent
Primis roſcida guttis
Hortis alba rubentibus
Quin ſternacis equi terga premens puer
Vt iuſto celerem cornipedem gradu
Certum cogit in orbem
Frænos indocilem pati:
Illum cum gemino Caſtore conferat:
Illum cum gemino Caſtore Cyllarus
Aequis mutet Amiclis

Pri-

Digitized by Google

Primo puluere nobilis:
Illi, quam Thetidis libera filio
Chiron mixtus equo bella Bimembrium
Malit ludere cantu
Sæuas exacuens minas.
An fauſtis memorem ſub penetralibus
Edoctos animos, nobilium Artium
Omni dote paciſci
Immortale decus Domus?
Vt cum vere Apium Dædaleus labor
Omnes ruris opes libat Hymettij:
Exin cerea complet
Dulci mœnia nectare;
Sic omnes Proauos, ſic Atauos Puer
Amplexus memori pectore condidit:
Omni laude paterna
Patrem fingere ſic ſtudet.
Hac o laude recens creſce Puer noua:
FERDINANDVS eris: COSMVS eris Puer:
Tandem quicquid Auorum
Aetas priſca refert, eris.
Te, ſi pacis amor conſulet otio:
Auctorem placidum Lydia ſentiat
Legum iura tueri:
Mores condere tu ſcias,
Aut ſi rauca fiement claſsica bellicum,
Aras tu Patriæ, mœnia tu tegas.
Floram tangat inultus
Nemo te Duce, te Patre.
Artes hæ tuæ erunt, ſpe fruor hac tui.
In ſpem ſurge meam ſydus Hetruriæ,
FLORE floſcule, ocelle
Patris, lux mea, mel meum.

De

Digitized by Google

De Ioanne Vincentio Cardinali Gonzaga.

ODE XXXIII.

SPes, & voluptas Sidoniæ Domus,
Princeps triremes Heſperij maris
Frænare iuſſus, per tumentes
Audet aquas iterare curſus.
Quos heu timores, lintea quos vehunt
Nunc illa fletus! Principis Vrbium
Quot vota Romæ! dum retrorſum
Dardaniæ referantur actæ.
Rector profundi ſæue tridentifer
Si iuſta poſco: ſi meruit Puer,
Artes per omnes omne mitis
Ingenij decus aſsecutus:
Præſterne ponti turgida marmora:
Cælique ſoli copia ſit bono
Floræ Marito: nec recuſent
Oebalij geminare flammam.
Feſtiua læto prænatet agmine
Dotho: & iocosè Doris adæſtuans:
Blandè ſupinatam per æſtus
Cymothoe regat ipſa puppim.
Sit quæ ſecundis ſuppara flatibus
Pandat: ſit, aptet remige quæ latus:
Et nulla glaucarum benigno
Officio careat Sororum.
Qua Scylla latret: quid Maleæ ſequax
Peruor minetur, prædoceant: fide
Qua conſtet æquor: cur Charybdis

Tri-

Trinacriam populetur vndam.
Non ille Threſsis matribus innocens
Deuaſtet albas tutus Echinadas:
Impune deteſtandus Aulæ
Odryſsæ, Lybiæque terror.
Inſigne pacis depoſitum ſacræ
Periculoſæ creditur aleæ:
Quod depaciſci mille noluit
Gangaridum pia Roma Regnis.
At tu ſuperbis exuuijs grauis
Diuerſus erras iam nimium diu.
Cur Roma fruſtra, te morante
Texit Agenoream lacernam?

Ad Cardinalem Pinellum

ODE XXXIV.

INcluſa cono ſemina pineo
Fœtu graueſcunt turgida lacteo:
Aſperque felices echinus
Auctat opes, gremioque condit.
Non hoc auare diſcute: diffluent
Arcana fœtus ſemina diuitis
Auctu beato. non negantur
Clauſa ſinu bona, ſed teguntur.
Queis dona ſignis aptiùs, & tuæ,
Pinelle, frugem mentis, & auream
Monſtres Amalthæam, mearum
Grande decus, columenque rerum?
Sic mens niueſcit pectoris integri:
Sic læta laudum ſemina parturit:
Cum multa promat: plura cælat:

O Inque

Digitized by Google

Inque dies o ulcera nutrit.
Extra nec exit, nullus ardega:
Domique natis perfruitur bonis.
Quod exit, e pleno redundat:
Quod latet, officioſa differt.
Virtus futuri prouida temporis
Cum dote, quæ mox diuite ſæculo
Suo, laborantique Mundo
Seruiat, & patriæ, ſuiſque.
Sic, quæ ſoluto flent opobalſama
Sudata libro, corticis aſperi
Munimen obſepit: nec aura
Spirat Achemenij ſalicti:
Mox vt ſoploena falce viam breui
Fecere ligno, lacrymat, & beat.
Fletus odori gutta diues
Dona ducum Dominum morantem.
Sic, que rubenti fluctuat æquore,
Saburra cæli roſcida quam grauat;
Rigente concha cymba parua
Vallat opes, teretemque rorem;
Pontoque vectat. mox adapertile
Conchile reddit munera, Cycladas
Factura baccatas, Latinis
Aut nuribus, Tyriæue fronti.

In obitu Laurentij Cagnati Ad Marſilium Patrem.

ODE XXXV.

LEgem quis autem nunc tibi dixerit,
Cagnate flendi? ſcilicet innocens

Ter-

Digitized by Google

Terrore ſummo tecta circùm
Vidimus attonuiſſe fulmen.
Nec dum rubenti celſa Dieſpiter
Ambedit ardens culmina ſulphure
Aedes per imas lapſus hauſit
Attonitum penetrale fulgor.
Heu meror! ingens occidit, occidit
Ab ſtirpe nomen gentis, & vltimæ
Stetere cauſæ, ne ferire
Damna domum grauiora poſsint.
Mercede ſed qua vulnera iam Pater
Humana diſces illacrymabili
Spectare vultu? quo futuri
Impauidum miſerande luctu
Munis paternum pectus, vt altera
Nil tela poſsint lædere! ſint licet,
Quam multa Cælo ſigna fulgent:
Quot numero parit Hybla flores:
Cauri quot æſtus ſollicitant truces
Emoliuntur cum mare funditus:
Vertente quot frondes volucres
Flabra ferunt Aquilonis anno.
Spes illa Gentis, ſumma ſuperſtitis
Menſura Voti, nominis vnicus
Hæres auiti, viua mentis
Effigies patriæ, ſenectæ
Serum leuamen: quo licet vnico
Olim ſtetiſſes par ſuperis Pater;
Heu fletur extinctum repentè:
Et cinis eſt tuus ille Laurens.
Quid culta puro pectore profuit
Virtus? & vſu nobilium artium
Finxiſſe mores? quid iuuentam

Ingenuam temeraſſe nunquam?
Et iam paternis laudibus æmulus
Vrgebat annos, corpora callidus
Ex imminenti iam ſepulchro
Pæonio reuocare ritu.
Sermone quicquid Socratico Plato,
Quicquid Lyceo diſſona Porticus
Zenonis climat: ſagaci
Quicquid Ariſtoteles labore
Exſudat olim, norat, & vberi
Linguæ beatæ nectare profluens
Ediſſerebat: parricida
Quale timet Catilina flumen.
Quocunque vellet, ducere dædalus
Aures ſequaces, ſeu fide flectere
Muſæa mallet verba: ſiue
Voluere liberiore tractu.
Nunc quod dolorem mitiget aſperum
Lenimen vnum eſt: quod lacrymas pias
Impendit orbo Roma Patri,
Et ſobolem dolet orba raptam:
Tu nempe natum flebilibus modis
Ploras ademptum. Roma gemit duos:
Binos in vno paſſa ſenſus,
Teque ſuum putat icta vulnus.
Priuata luctu mitia publico
Si damna fiunt; grande tuis adeſt,
Cagnate, ſolamen querelis.
Eſt aliquid lacrymaſſe Romam.

In

In aduentum Illuſtriſſ. Card. Mellini Ad Seminarianos

HILARODVS.

ODE XXXVI.

AGe, ſpes nouella Romæ,
Iuuenes adeſte clari,
Bona quos magiſtra pulchri
Radiata ſeminali
Dea nutrit igne læto
Inter auras, inter vndas,
Inter hortos flore dædalos.
Alacres fauete plauſu:
Alacres fauete cantu:
Bona ſi refulſit aura,
Patris aura quem beatum
Opulentat, & leporum
Melle nomen, melle Numen,
Melle mores omen imbuit.
Calamis ſtrepat ſonoris
Sua per vireta Thyrſis:
Reſecuta carmen antris
Nemoralis omne Nimpha
Iterare ſæpe diſcat,
Diſcat aura, diſcat vnda,
Diſcat ore ſylua ſibilo:
Subitiſque ſe corollis
Fugiens inumbret annus
Nemus omne virginales
Charitum choros frequentet.

Licet hàc eas Thalia
Te per auras, te per vndas,
Te per vrbes adde garrulas.
Procul audiant, perennes
Quibus aggerat pruinas
Glaciale ſidus Vrſæ:
Procul audiant, propinqua
Face quos adurit Auſter:
Quique primo, quique ſummo,
Quique ſole ſulgent deuio.
Dea læta laurearum
Zephyritis in roſetis
Vocat agmen omne ludi:
Mora nulla, nullus ordo,
Glyceriti, te retardet:
Seu quis vnda, ſeu quis aura,
Seu quis vmbra geſtit ludere.
Tibi ſidus omne florum
Viget alma Sideriti:
Tibi ludit omne murmur,
Nemorumque, fontiumque,
Pede lapſa flexuoſo
Lympha ſyluæ, lympha cultus,
Lympha riſus omnis artifex.
Operoſior refulſit
Thaumantias viretis:
Pater ipſe feriari
Sua iuſſit hæc vireta:
Hodie vaces Acanthi:
Pande ſyluas, pande fontes,
Pande diſcolores areas.
Lepor o parens leporum,
Sine, te tuos lepores

Lepi-

Lepide ſequi trahentem.
Sine purpurantis aurae
Geniale ferre Numen
Vnde turget, vnde gemmat
Vnde bacca ramos ingrauat
Patet heſperis: Draconis
Sinuoſa terga partem
Mediam loci relinquunt.
Ades huc honos leporum
Ades huc lepos honorum:
Te per auras, te per vndas;
Te per hortos viſe diditum.

Digitized by Google

BERNARDINI STEPHONII

EMBLEMATA,

EPIGRAMMATA,

ET TVMVLI.

EMBLEMATA.

De Beatiſs. Virg. ab Angelo ſalutata & Diuini Verbi Incarnatione

SPHAERA CAELESTIS.

AVreus annus init: fælicia ſæcula currunt:
Et noua ſigna micant, orbibus apta nouis.
Mundi zona vices alijs ſtellata figuris:
Temperat. axe nouo, Sol nouus aſtra terit.
Efficiunt Orbes in ſubdita corpora quiddam.
Orbe nouo, cultus, indue Terra nouos.

ZODIACI SIGNA.

ARIES.

EXoritur Princeps Nephelæo vellere ſidus;
Clariùs in fuluo vellere ſqualet ouis.
Mitis in accenſo ridet Clementia vultu,
Et placidos mores flamma benigna mouet.
Iam Deus eſt Agnus. refugis quo nudus ab Agno
Vnde tegaris Adam, nobile vellus habes.

TAV-

TAVRVS.

Cornibus elatis Taurus diffindit Aprilem,
Aureus, auratæ, proximus ignis oui:
Strenuus ah longo terram ſuſpendere ſulco,
Non ſibi, quæ coluit, pinguia culta metet.
Floret ager, ſegetes pubeſcunt, gemma tumeſcit,
Et tamen hic olim victima Taurus erit.

GEMINI.

Igne ſalutari geminum quà fulgurat Aſtrum;
Nexuit æterno, fœdere bina Deus.
Hinc terris gauiſa ſuis Concordia regnat;
Hinc quoque manſuræ gaudia Pacis erunt,
Crimina iam Tellus, dediſcat fulmina Cælum,
Numinis atque Hominis fœdera Mundus habet.

CANCER.

Auſus ad Alcidæ talos adrepere Cancer
Vulneris impacti, præmia ſidus habet.
Græcia mentitur; ſed Auerni Cancer, an Anguis?
Vulnera Terrigenis inſidioſa dedit.
Numinis o Nemeſim; Mariæ pede Cancer & Anguis
Vertice detrito præmia ſtinus habent.

LEO.

Exige de Cælo Nemeæum, Roma, leonem;
Sit licet ille iubis aureus, igne minax.
Exige, ſigniferum meliùs tenet ille, ſiquentis

O 5 Ne-

Nectaris eximimus cuius ab ore fauos.
Nec fulgore minor tot ſidera corpore lucent,
Vulnera quot toto corpore ſciſſa rubent.

VIRGO.

CArmina ni ſurda Virgo mea reſpuis aure;
Fors aliquid maius mens tibi noſtra mouet.
Numinis o mater, quondam mihi Numen,& omen
Carminis, o ſalue proxima Diua Deo.
Criminis o expers ſalue. Tu reddita terris
Fruge noua inuenta, non fugis arma, fugas.

LIBRA

POnderibus librata ſuis examina lances
Aequa regunt: meritis,(vt reor) æqua dabunt.
Heu minus æqua tuos heu Virgo libra dolores
Ponderat, heu noxas, ponderat illa meas.
Virgo Deum libras, librantem crimina noſcis
Pondera quanta forent Tu niſi libra fores?

SCORPIVS.

MVltipedem vitare Nepam ſit cura,venenum
Nam coquit, & grauiùs, quà nitet, indè ferit
Nectere nam chelis amplexus viſa ſequaces,
Illigat, & caudæ cæca venena vocat.
Ne tibi Lernæo placeas armata veneno:
Vnde minus reris Bellua fœda cades.

SA-

SAGITTARIVS.

IGnea curuato iaculatur ſpicula cornu,
Sidereaſque ſenex vulnerat igne feras.
Fabula. dum gremio Matris Deus inſidet, & dum,
Paruulus infantis militis ora gerit,
Blāda ſinus pharetra eſt, ſūnt brachia virginis arcus
Mittitur hinc hominum in corda ſagitta Deus.

CAPRICORNVS.

ARduus, & multo diſperſus ſidere corpus
Parte caper, piſcis parte ſereaus adeſt.
Fabula narratur tali Pithona figura
Ridiculos ſuetum ludere ſæpe Deos.
Ridiculum inceptum. qua Cælum laude petiuit?
Aethera, qui dederint talia monſtra, petant.

AQVARIVS.

PRodigus hibernos irritat Aquarius imbres,
Vrna procax pluuias vſque miniſtrat aquas
Ah Deus! ah nimium nomen tibi conuenit Vrnæ;
Cui latus effoſſum flumina rupta vomet.
Quamquam triſte tuis, o nobis ſidus amicum.
O ades, & ſordes eluat vnda meas.

PISCES.

SIderei Piſces innant cæleſtibus vndis
Hoc mare ſemper habent, nec mare littus habet.
Virginei piſces Mariæ labuntur ad vndas.

O 6 Hoc

Hoc mare iuratæ Virginitatis amant.
Ipſe Deus ſquammis ardens imitantibus aurum
Virgineo Piſcis natus ab Oceano eſt.

ROSA.

DVrior ah ferro clauos Iudæa trabales,
Quid immerenti præparas?
Horridior dumis quid ſentes aſpera tractas,
Hamoſque flectis nexiles?
O ſaperes vtinam facinus miſcere cruentum
Accincta ferro parceres.
Non odijs eget ille tuis heu ſponte daturus.
Heu innocentem ſanguinem.
Hoc ſitit, hoc matris iam nunc meditatur ab aluo,
Exortus hoc vltrò petet:
Sic Roſa, cui calicis frondes obnubit echinus
Excluſa nondum, purpurat:

GLOMVS AVREVS.

ARtis Arachneæ glomeratum ſtamen in orbem
Flauet, & Attalicas ludit ab arte vias:
Vt gracilem traiecit acum quo traxit ariſta
Fulua redorditur ſe globus vſque ſequax
Mente ſua felix in ſe Deus vſque recurrit
Diues, & omnigenas conglobat vnus opes.
Nunc meditatus opus, quod ſæcula nulla tacebunt.
Se replicando breuem, complicat in puerum.

AQVILA CIRCVM LIBANVM.

QVæ Libanum circumuolitat Regina volucrum,
Hæc ſimulat motus regia Virgo tuos.

Cir-

Circinat illa cito faſtigia ſumma volatu:
Agmina tu volucri mente nouena prævis.
Illa metit primos apices frondentis honoris:
Tu decorum laudes præmia prima legis.
Illa ſinum cedri roſtro rimatur obunco:
Ipſa Patris Verbum gaudia viua rapis.

TEXTRINAE MACHINA.

CVr vacat inſertum radijs ſubtegmen acutis,
Miſſaque per dentes ordia prima iugo?
Argumenta manus expectat ſtaminis ordo,
Pectine percuſſo quæ trahat illud opus:
Hoc etiam ritu Genitor primordia mundi
Duxerat, & Moſi, reddita iura ſeni.
Tela diu meditata, diu tardata pependit;
Surgit opus tandem, Virginis ecce manus!.

BOMBICIS ROTA.

BOmbicis explicandæ machinam cernis:
Et multiformis ordines citos orbis,
Spheræ tot vno intrinſecus reuoluuntur:
Ictu citatæ multiplex globus currit,
Et fila ſeſe replicant retrouerſus.
Nunc Hoſpes audi, quo vocem rei exemplum.
Quod traxit Aetas ante, quod trahet quondam,
Id implicatum ſoluitur Dei Verbo.

MOSIS QVASILLVS IN LITTORE

LIttore depoſitus Moſes, clauſuſque quaſillo
Contudit Arſinoës Regna ſuperba puer.

Om-

Omnia læta cano. Vatis ſint omina vera.
  Neſcio quid læti carmina priſca ferunt.
Expoſitus terris, incluſus Virginis aluo,
  Paruulus excindet, quem Deus ille Ducem?

ELEAZARVS SVBDITVS ELEPHANTO.

SEruitij vindex Eleazarus acer in hoſtes,
  Immemor exitij denſa per arma ruit.
Indica ſublimem quem geſtat bellua Regem,
  Diſiectis cunctis, ordinibuſque petit.
Subiectuſque feræ ſtricto mucrone laceſſit
  Viſcera, victorem bellua victa terit.
Seruitio premimur, circumſonat vndique bellum
  Da ſimilem huic terris aurea Virgo Ducem.

DARIVS REX CVM AVREIS VINCVLIS.

AVrea Perſarum nectuntur vincula Regi.
  Aurea, ſed Regem vincula nulla decent.
Corporis experti quæ Verbo vincla parauit
  Victor Amor, Virtus Virginis illa dedit.
Quæ ſi fortè decent Regemq;, Patremq;, Deumque;
  Eſt vter, an Virgo fortior, anne Deus?

CODEX BIBLIORVM OLEA REDIMITVS

OMnia læta viden? pacis bona ſigna: corolla
  Pacifera ſacrum fronde volumen obit.
Intus erant (memini) metuendi numinis iræ:
  Vnda, fames, peſtis, fulmina, tela, faces.
Cui tantum debet Tellus? quis molliit iras?
  Sæua quis extorſit fortior arma Deo?

Quæ

Quæ potuit Verbo circundare Carnis amictum,
Hæc potuit miti vincere Pace minas.

CAESAR NAVFRAGVS

ET Imperator Cæſar, & ſcriptor bonus,
Vitæ natatu conſulit, ferrum tenens:
Chlamide obuolutum dextera, læua libros
Leui expolitos pumice, & leni ſtylo:
Nihil eſt quod aptum iudicem nobis magis
Hoc enatantis Cæſaris facto ac fuga.
Nos vt reponat Chriſtus in ſceptrum Patris
Vltro recepit naufragæ vitæ vices,
Iactandus, exigendus, obiectus neci.
Arbitria porro detulit Nato Pater.
Vitæ neciſque Iudicis ferrum induit
Dextra inuolutum, & chlamyde mortali latens:
Idemque ſumma præditus ſapientia
Documenta vitæ morte vitali dedit.
Dat dextra multum, Læua plus nobis dedit.

VIRGAE IN AQVA MERSAE A IACOB

EXuuijs demptis virgæ cernuntur in vnda.
Lanigero pecori varios offerre colores.
Sidonios hinc lana bibit non iuſſa rubores:
Hinc hyali potant natiuum vellera ſuccum.
Tot penitus maculis, quot in vnda oſtentat imago
Balantum pecori; primi dum viſcera fœtus
Complent, & grauibus concreſcunt matribus agni.
Virginis in puro ſpectatur Patris Imago
Viſcere, concipias Tellus fœliciter audax

VO-

Vota licet totidem viſenda coloribus olim
Illa quot in vitæ ſeſe formauerit vſus.

STATVA NEOCAESAREAE.

CVi ſteterat ſanguis tactu ſanata ſalubri
Terminis, hæc ponit fœmina ſigna Deo.
Integrat officium marmor, nam gramina propter
Nata fugant morbos, ſi tetigere ſinum.
Si tactæ Chlamydes veræ fictæque medentur
Conceptus matri quid Deus ipſe dabit?

VIRGO, ET AVRVM, ET LVNA.

REx Patria pulſus, flauentis pondera glebæ
Defodit: indicijs rem notat: exul abit.
Marmore de Pario pharetratæ Virginis ora
Et raucæ Lunæ, cornua fronte locat.
Addidit ille baſi carmen. Cum Virginis orbem,
Sol init, ex auro det mihi Luna caput.
Nam quo fundit apex a tergo ſideris vmbram
Explicitam, huc tacitas merſerat Exul opes.
Lunæ nomen habes Virgo. Te Numen obumbrat:
Diuitias ergo Numinis vmbra dabit.

CLYPEVS ET HORARIVM SOLARE.

SOlare quondam pinxit hoc Horarium,
Et illigatum Cæſar vmboni tulit.
Credo vt ſuorum Ciuium ſe commodis
Seruire ſemper diceret, laudem ratus
Vt vmbra circumfuſa monſtrantis ſtyli
Numeros per omnes errat horarum notas,

Index

Index diurni temporis . ſic omnium
Momenta captat temporum Regni appetens
Verſare mentem gnarus', & morum vices .
Quid iſta falſo vindicas Cæſar tibi ?
Hæc laudis eſſe ſigna non fraudis decet .
Nuper (quod eſſet omnibus mirum) Deo
Florem dicarat corporis Virgo integri .
Candoris illud tempus æterni fuit .
Poſt hæc pudorem iuſſit illæſum Deus
Seruire Proli matris oſtendit notas
Augens pudorem virginalem : Horarium
Hoc eſt ad omnes temporum natum vices .

CLYPEVS ET HOROLOGIVM AENEVM

ARgumenta vides Regis ratione gerentis
Imperij ſpeciem Populoſque animumque regentis.
Hæc quæ multiplices orbes amplexa cietur
Horarum interpres fugitiui temporis index
Machina momentis diſpenſat ſingula certis ,
Interualla regens , & libramenta rotarum .
Pondera deſidunt arcano concita motu
Infernè , ſpatijs iuſſis momenta ſupernè
Sollicitant numeros : figit vel conſcia cuſpis
Exterior , turrita docent vel ſigna metalli .
Hoc gauiſa Deo Virgo per ſingula pacto
Virtutum ſeſe officia exercetque, regitque,
Et mores faciles omnem conuertit in vſum ;
Et linguæ cum mente ſonos attemperat omnes .
Nunc amor euibrat celeri ſuper aſtra volatu
Pectora, nunc roſeum demiſſa modeſtia vultum
Ad ſua vota trahit cum toto Numen Olympo .
Vnde paret nobis optatæ regna quietis

Et

Digitized by Google

Et virtutis opes, & veræ iura ſalutis

BERENICES IN VELO. DIVINI VVLTVS EFFIGIES.

IMpreſsit hanc quam cernis effigiem Deus
Oris, vt informes fila bibere notas,
Amoris eſse pignus hoc iuſsit ſui,
Raptus ad indignam flebilis ille necem.
Mirantur omnes fœminæ linum piæ,
Quodque dedit Romæ textile munus Amor.
At hoc quod antè detulit cunctis Deus
Virginis eſt textum, pluris & eſſe reor.
Nam Virginali corpori illapſus ſibi
Traxit ad exemplum Virginis ora Deus.

GEMINAE PALMAE

ARbor amat: quis credat? amat: teſtatur amores
Palma ſuos: aura comparis aucta tumet.
Lucis ad exortum tædis felicibus ardent:
Hæc minor, hæc maior. vere iugatur amor.
Quid numeris coner ſimiles conferre colores?
Omnia conueniunt tempora, fœtus, Amor.
Palma minor Virgo: maior Deus eſſe videtur:
Ergo minor verno flamine Palma tumet.

TEMPLA ARCHIMEDIS.

TEmpla Syracuſio ſunt hæc dimenſa magiſtro.
Alter ab alterius lumine lumen init.
Hoc Dyctinna minus, Dyctinnæ frater habebat.
Maius: & hic Phœbe lumine fratris eget

Sic

Sic deſcripta vides, ſic iuſta lege locata
Omnia ſunt: operi ſic famulatur opus.
Mente præis hoſpes: Quod dicam? Nempe nitorē
Ebibit a magno Numine Virgo minor.

CLYPEVS ET PRAELVM LITTERARIVM.

SVbdita cum prælo premitur ſtructura notarum,
Aduerſa reddit pagina aduerſæ notas.
Et Deus e noſtra duxit cum Virgine vultum
Mortali ab homine traxit vt poſſet mori.

CLYPEVS ET ORGANVM.

DVctilibus modulata tubis ſymphonia, concors,
Fuſaque per varias aura ſonora vias,
Compoſitæ mentis tranquilli pectoris index
Virginis & numeros, & notat illa decus:
Diſpare nam veluti ſonus vnus mittitur ære,
Sic illi varia laus venit vna via.
Pellitur æs diſpar concentus funditur vnus;
E numeris multis res cadit vna, Deus.

CLYPEVS, ANCHORA, ET DELPHINVS.

PErnicitatem ſpiritus quis ignorat?
Pennas, ſagittas, fulmen antecedentem?
Et tarditatem corporis quis ignorat?
Nutu ſuopte perditè relabentis?
Ex mole fluxi corporis retardauit
Pernicitatem ſpiritus ſui Numen.
Vt ſe teneri, & conſpici ſinat nobis
Delphinus hic ſic anchoræ cohæreſcit.

GAE.

GAEMINAE TESTVDINES.

INtende fibras, tempera teſtudinum
Orpheu duarum more quo noſti: fides,
Conſentientes ſingulas numero & modo
Compone ſic vt inuicem reſpondeat.
Vbi laceſſis huius illius ſonus.
Benè eſt, vel hanc, vel alteram nunc tangito.
Audis? remittit illa non iuſſos modos,
Intacta voce congruos ictu, loco.
Exemplar hoc ad Virginem noſtram facit.
Conſentientem Numini Verbum Pater.
Virtute ſummum ſundit æquæuum ſibi,
Alloquitur inde Virginem, Hæc dicto audiens
Verbum refundit carne veſtitum Patri.

TRES LINEAE

HAs pennicillus artifex tres lineas
Protogenis atque Apellis, vt ſolertiæ
Specimen daretur, duxit amborum manus.
Princeps Apelles lineam primam dedit:
Protogenis alter ductus eſt, hic diſcolor
E diſcolori pulucre illi tertiam
Leniore Apelles indidit tractu ſuper,
Magis magiſque, cerne, gracileſcit color,
Et Dædalæus vſque tenuatur labor;
Manus ſuprema iudicatur optima.
Specimen beatæ Mentis, vt quondam Pater
Ederet, & Orbem finxit & Cæligenas
Artifice dignas lineas tanto duas
Coloribus duobus addit tertium

Cum

Digitized by Google

Cum Mater natum Virgine effudit ſuum.
Manus hæc ſuprema iudicatur optima.

TVBA INFLEXA

AVditur æris nullus inflexi canor.
Infletur oris ſpiritu, cantus dabit
Immiſſus aër. Virginem cur fertilem
Et inſolentis Carminis miracula
Miraris hoſpes? Virginem inſpirat Deus.

AQVOSA ARBOR CANARIAE.

FOrtuna nomen Inſulæ clarum dedit,
Quam nulla fontis vena ſitientem rigat.
In ſede media ſurgit æternum virens.
Arbos. In illam conglobant nubes Noti
Imbres daturas Inſulæ, internodiis,
Ramiſque, frondibuſque lacrymantibus.
Nos arbor illa Virginis munus docet,
Quæ Virginali nube dum pluit Deum.
Largiflua ſedat ſola Terrarum ſitim.

LYDIVS TACTVS

QVicquid hic attingit flaueſcit protinus auro:
Lydia quem quæſo fabula trita latet?
Verius & melius nos dicimus. ardet in auro
Quo Deus admouit aureus ipſe manum.
Hoc minus eſt etiam vero ſub imagine noſtra
Noſtra Deus luſtrans nos iubet eſſe Deos.

CODRVS INCEDENS IN HOSTEM.

MEdios in hoſtes ruſtico in cultu Codrus
Perire certus intrat, vt cædi queat.
Qua cede pacis otium ſortes dabant.
Compone factum ſeruiet Chriſto Codrus
Sic ille Regem veſte peregrina occulit:
Sic ille ſæuas hoſtium irritat manus:
Sic ille pacis Regna maſtandus parit.
Hoc diſtat vno. ſanctior Chriſtus fuit.

Sequuntur aliquot Epigrammata ex quampluri-mis quæ temporis iniuria periiſſe conſtat:



EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMATA BERNARDINI STEPHONII

POTENTISSIMO SIGISMVNDO POLONIAE, ET SVEVIAE REGI

Vario genere carminum laudato in Coll. Rom.

EPIGRAMMA.

AVrea progenies Regum, cui mite ſerenat
  Pectus Amor veri, Iuſtitiæque tenor:
Vindice quo pietas Templis ſucceſsit auitis
  Placat & vnanimi turbida Regna fides:
Aſpera iam dudum manſueſcit Mæſia ferro
  Daciaque exarmat pacis amica latus.
Cornipedem breuiore rotat Ocagria gyro.
  Deſes in ignaua pace Corallus hebet.
Sauromatæque vagi laxant, & Iazyges arcus,
  Et pharetrę torpent tela Boriſthenię.
At quæ bella paras, & publica vota ſecundant,
  Et decus, & virtus, & pia cauſa iuuat.
Dū loquor, ecce metu exanimis male parta relinquit
  Sceptra, ferox turpi conſulit ille fugæ.
Iuſtitio tanto rerum decet altera pacis
  Arma ſequi: cantu verba citare decet.
Si decet hos numeros, oro cognoſce parumper.
  Cum licet & blandis ſenſa canora modis.
Vt faueas animis, ſaciet concordia morum.
  Auribus vt faueas, conticuere tubæ.

De

De Chirographia

Petro Aldobrãdino Cardinali dedicata.

PEctoris Interpres fugitiuæ vocis imago;
Præpetis & dextræ filia muta loquax,
Mnemoſines obſes, ſoboles Cadmeia, famæ
Aemula non vnis euariata notis,
I nigra progenies omnes animoſa per oras
Aldobrandini nomina clara vocant.
Prodere nunc ætas monumentis grata laborat
Quæ gerit ille ſagis, quæ gerit ille toga
Da ſinè fine notas: Aldobrandinus Olympo
Sidera plura dabit, quàm dabis ipſa notas.

De libro Epigrammatum Aurelij Vrsij.

CVius opus? Charitum niteat decus aſpice quãtũ
Ore, ſupercilio, lumine, fronte, iocis.
Cuius opus? Phœbi. numeros hos edidit olim
Victori laudes cum dabat ille Ioui.
Cuius opus? mæſtos numeros lege dixeris Orphei
Tangentis querula tertia Regna lyra
Cuius opus? Martis, Spirant horrentia Martem
Carmina dum Regum Martia bella canunt:
Cuius opus? non verba vides opulenta Mineruæ;
Et qua perpetuum carmen adauget ope?
Quid moror? Aurei ſunt Auros carmina Vatis,
Hoc ſatis eſt. Vatem conſule, plura leges.

De

Digitized by Google

De ſtatuis antiquis duorum fratrum Siculorum, qui Patrem per flammas ſuſtulerunt.

QVi medios Aethnæ Patrem rapuere per ignes;
Hi ſunt quos priſcus rettulit arte faber
Viuit opus: ſpirant fratrum monumenta piorum.
Aethere nec pluuio, nec labefacta die.
Et meritò. Quid enim cælum non parceret illis,
Enceladi metuit quos temerare furor?
Nobile par Iuuenum, fidei documenta, nepotum
Lumina, Sicaniæ gloria, vota Senum,
Viuite felices manſuro in marmore, veſtrum
Ipſa elementa, reor, iam venerantur opus.

Ad Alexandrum Romanum Muſicum Monachũ Oliuetani Ordinis, qui pſalmos Dauidis Muſicæ arti attemperauit.

REgius ipſe licet fidicen delapſus Olympo
Adſit, & ad Cytharam temperet ore modos?
Non tam quod cecinit lætetur carmine Vates,
Quam, Romane, tuis gaudat ille ſonis.
Sidereaque lyra numeros & gutture malit
Concinuiſſe tuos quam retuliſſe ſuos:

Alexandro Roſtrio Muſico ſuæ memoriæ ſuauiſſimo ſub initium pubertatis vocem obſcuranti.

OPtima prima dies intercipit inuida, Phœnix,
Ah puer, ah Charitum Dædala lingua ſiles!
Ille ſiles Phœnix, tenero qui gutture cantum

Fingere, qui cantu ducere ſaxa potes.
Cui non albus olor moriens non certet Aëdon
Docta nec argutæ iuncta Cicada lyræ.
Quo flectente modos, circumplaudentibus alis
Siderea geſtit lapſu ab Arce Chorus.
Ecquis honor Templis poſthac erit? ecqua Theatris
Gratia? cui plauſus Martia Roma dabis?
En ea, vox moritur, prima ſub pube Iuuentæ
Riſus & fletus pellere ſueta tuos.
Tam breue vel flori fuerit? ignoſcite diui,
Non decuit naſci ſi periturus erat.

Ad Phœnicem Phonaſcum

STeſichori cecinisſe ferunt infantis in ore
Odryſij paſsam crimina Regis auem.
Hauſit ab auſpicio vates imitabile carmen,
Quo puerum plorat Daulias Ales Ithym.
Implicet vt fidibus ſeptem diſcrimina vocis,
Inſerat vt voci garrula verba lyræ.
At tibi quis vario diſtinguit gutture cantus?
O Aeui Phœnix gloria prima tui?
Daulia non pellex edocta nouemplicis orbis
Ad numerum faciles euariare notas.
Cærula non Syren, quam ne ſequeretur Vlyſses,
In freta Dulichijs membra liganda dedit.
Non Amphionij moderatrix Gratia Plectri,
Mœnia Thæbarum ſtruxerit illa licet.
Iſmariæ non lingua Chelys quam vocibus Argo.
Nerei dum obiecit blanda pericla timens:
Cuius ab ingenio vocalem pectoris auram
Exprimis in numeros ingenioſe puer.

Hu-

Digitized by Google

Humanos non eſſe modos pia Roma fatetur:
Quid rear? ipſe tibi temperat ora Deus.

In corculum e' ſuccino,
quod Alexandro Roſtrio dono dedit
N.N. Poloniæ Princeps Palat. Sac. reliquijs exornatũ.

Fluctibus e Geticis, quam Balthicus expuit humor
Munus Alexander, ſuccina gutta venit.
Quæ quia perſpicuo ſucco flaueſcit in aurum;
Hanc Cryſolectrum Græcia docta vocat.
Seu Phaëtontiadum ſudauit ab arbore gemma;
Spumea Nereidum ſiue ſaliua fuit.
Purgamenta maris Scythico ſub ſidere denſa
Ex electrilegis ſunt tibi dona Getis.
Heliadum ex fletu colli geſtamen honeſtum
Cordis in effigiem finxit ab arte faber.
In media qui ſede breui coit ambitus orbe,
Clauſa tegit fidei pignora dena ſacræ.
Virginis hinc magnæ tenui velamina filo
Reliquijs quatuor Virginum adaucta fuit.
Cæciliæ, Agnetis, Catherinæ vtriuſque, verentur
Quamque Sinæ ſummi culmina, quamque Senæ.
Indè ſalutiferæ Crucis interſecta decenter
Fruſta duo, hinc Paulus circuit, indè Petrus:
Tertius acceſſit viui vox aurea Verbi
Eliſabeth natus quem vereare piè.
Quartus Alexander quo tu cognomine gaudes,
Romula qui fuſo ſanguine Regna ſacrat.
Nunc ea Stephonius de ſacro paruula cenſu,
Obtulit electro munera cincta breui.
Paruula ſunt, fateor; verum de diuite prompta
Pectore, conueniunt moribus apta tuis.

Hæc quia ferre ſoles caſtæ monumenta pi[e]que,
Nō monet hoc vt agas: ſed probat, id quod agis.

De Puerpera & partu.

DIfficili partu matura matris ab aluo
Protulerat dextram matre gemente puer.
Hic genitor factu pius, & crudelis eodem,
Luſtrat aqua, & ſæuo, vulnerat enſe manum.
Ah puer (heu lacrymæ) crudeli ſaucius enſe:
Ante miſer linquit lumina, quam videat:
Ad ſeſeque manum reuocans, dixiſſe putatur.
Hoſtis es vt video, Terra cruenta vale.

Commorientes.

EReptura Parens natum properabat ab igne:
Dum properat Gnatus, mergitur alter aquis.
Currit, & hunc raptura, gradus fruſtratur euntem,
Et cadit heu inter funera bina parens.
Aſpicit hæc Coniux; laqueo collum inſerit amens,
Et trabe de celſa flebile pendet onus.
Aëra, tellurem, flammamque, vndamque replerunt
Funera. Par mundo tanta ruina fuit.

De cerua

LVdicra Pontificis ſpectacula ſeria reddit
Vndique latratu territa Cerua canum.
Quam celer vt vidit, curſu premit Vmber anhelo,
Crebraque dentato fulmine terga premit.
Nec mora, nec requies, curſu teriturque recurſu
Area, puluereo ſollicitata gradu:

Stat

Stat circum denſata cohors: latratus in auras
Sæuit, & exitium iam timet illa ſuum.
Quo ſe proripiat? latebras quas inſcia quærat?
Effugium clathris area ſepta negat.
Addidit ingenium metus: e tot millibus vnus
Ad quem confugeret tu Pater vnus eras.
Pontificis petit illa ſinum, gremioque reſedit,
Et ſentire loci Numina viſa fera eſt:
Inuerſi mores: præpoſtera ſæcula. Cur nam
Migrat ab humana conditione pudor?
Deuia conſilijs lacerata Britannia monſtris
Bellua muta probat, cæca quod ipſa negas.

Aliud

LAtratu, curſuque Vmber te Ceruа fatigat:
Quà fugis ille premit, quà premit ille fugis.
Quo te feſſa malo eripies! ſtant vndique ſepta,
Vndique ſunt acies, & ferus hoſtis adeſt.
Diſcite mortales quàm maieſtate verendum
Vertice Romanum, quo ferit Aſtra caput.
Effugio dum nulla patet via, bellua ſeſe
Territa Pontificis condidit in gremium.
Hunc ſibi cerua legit de millibus. ecquis in illo
Vertice præſentem non videt eſſe Deum?

Aliud.

HInnulus infelix indagine clauſus iniqua
Dum pauet infeſtos, præda futura, canes.
Hac fugit, hac refugit rapido quatit ilia curſu;
Luſtrat: & obſeſſum corde pauente locum.
Quem videt e multis vnum ſupereſse Parentem.

Inſilit illius territus in gremium.
Hic aliquis cui corda metu ſtimularet amaro
Crimen & impendens vindicis ira Dei.
Quid moror? exemplum dat Cerua ſalutis ad Aram
Quem gerit hic Princeps, me vocat ipſe Deus.

Tarquinio Gallutio Bernardinus Stephonius.

AVguſtus orbis, Tarquini, ſceptris Ducum,
Solis Poëtis amplus eſt.
Verona doctum Lesbiæ Vatem canit,
Plaudit Maroni Mincius.
Setina Flacco, Padua at Stella tumet,
Campana tellus Statio.
Apollodorum Nilus in cælo locat,
Iactant Homerum Smyrnij.
Euripide Cecrops Pindaro Dirce ſonat;
Saphone Lesbos maſcula.
Naſone Sulmo: Calaber ex pauo Ennio:
Horatioque Dauniæ.
Lucanus vnus eximit, Senecæ duo
Obliuioni Cordubam.
Gades iocoſæ Canio gaudent ſuo
Et Martiale Bilbilis.
Carus, Tibullus, Iulius Romæ placent,
Meuaniæ Propertius.
At Te Vacuna gloriatur Roſia,
Nec me ſilebit Pharpharus.

De Zeuxide & Parrhaſio:

PArrhaſius Zeuxin quæ ludant lintea fecit.
Vuam

Vuam, quæ potuit ludere Zeuxis Aues:
Hæret in ambiguo ſententia Iudicis: vtri
Gloria pingendi nomina prima notet.
Illicit alter Aues auidas fallentibus vuis;
Zeuxidis hic fallit lumina: victor hic eſt.

Aliud:

Zeuxidis eſt opus haud veris ceſſura racemis
Vitea mentito nectare bacca grauis.
Parrhaſius liquidis imitata coloribus offert
Lintea Phœniſsæ qualia nere ſolent.
Vuam allapſa petit fictam ficedula vera;
Zeuxis deceptus lintea vera putat.
De ſumma laudis decernitur inter vtrumque:
Iudice me cedet gloria Parrhaſio.
Quantus Zeuxis aues potuit qui fallere pictor?
Qui potuit Zeuxim fallere maior erat.

Aliud.

Contulit Artifices geminos incenſa cupido
Laudis vter melius poneret artis opus.
Carbaſa Parrhaſius ſimulauit, Zeuxis ephœbum
Pendula cui feſſam degrauat vua manum.
Mira loquor ſed vera, videt, putat, appetit vuam
Ales, & in nubes ludificata redit.
Lintea Parrhaſius, deuelat lintea Zeuxis:
Ficta videns credit vera, trahitque manu.
Doctior vtra manus volucres quæ decipit? an quæ
Artifices ipſos ludificare poteſt?

Digitized by Google

Aliud.

PArrhaſius Zeuxin fallentia lintea pinxit:
At puerum Zeuxis cui grauat vua manum.
Pugnat in ancipiti meritum potioris honoris.
Sic ego decido: gloria Parrhaſij eſt.
Alter auem fallit, Pictorem decipit alter:
Hic doctos oculos decipit; ille rudes.

In Imitatorem Exilis Exilem.

ANguſtum anguſtus meditatur Rhetora Rhetor.
Ingenium Pictor excute pinge virum.
Pinge Animam exilem, & miſeræ ieiunia mentis,
Rhetore quo longè plenior ipſa fames.
Friges hic. auceps auræ eſt ſolertior: ipſo
Et minor eſt minimo Rhetor araneolo.
Aut vmbræ vmbella; aut vocis ſimuletur Imago
Aut ſonus: aut ſi audes ponere; pone nihil,

Simulacrum Opinionis.

QVæ mulier titubat cui greſſus? Opinio; vulgum
Ancipites doceo nec benè ferre pedes.
Aure cares dextra cur? audio cuncta ſiniſtrè.
Dic age, cur vitreis orbibus vſa vides?
Cerno quidem, ſed cerno parũ. Cur fucus in ore eſt:
Quod ſimulo veri docta referre notas.
Quæ Genitrix? Species. Genitor quis? Rumor, & vna
Fronte gero matrem filia, mente Patrem.
Niteris & nutas baculo circundata nube:
Nube latet verum, cum rationis eges:

Qui

Qui comites circumſiſtunt? temerarius error,
Suſpicio, Ambiguum, Spes maleſuada, Metus.
Non ruat in foueas hominum dementia, cæcos
Quos Dea præcipites lumine caſſa præit?

De Grammatico.

GRāmaticus grauida Damaſippus cōiuge, coniux
Ede marem; dixit Tullius alter erit.
Nam ſatus ex nobis referet facunda Parentis
Ora: nec eſt adeo dos facienda mari.
Mox parit hæc ternam maturo tempore prolem
Fœmineam: inſanum corripit ira Virum.
Cui Coniux quid me vexas Damaſippe? petebas
Tulliolum: dedimus tres tibi Tulliolas.

De vetula bibaci.

EXitium vetulæ male ſobria vina ferebant.
Ingemit, & Superis vota ſuprema canit.
Non niſi poſt centum ſoles mihi vina bibentur:
Da Pater vt mortem ſit timuiſſe ſatis.
Conualuit: gelidamque timet vel tangere: voti
Sic ſoluit mentem relligione ream.
Mille locis cribrum pertuſum ſuſcipit: illa
Et ſoles totidem qua via facta, videt.
Promiſi ſoles ſiccos Pater optime centum.
En plures, inquit, perſoluiſſe vides.

De Natta bibaci & luſco.

PArce mero, medicus dicebat, Natta, bibenti
Immodicè, claudet lumina, Natta, merum.

Aſtra, Salum, Terras, vidi quæcunque videnda
Sunt quoties, inquit, viſa reuiſa mihi?
Sed guſtata mihi non omnia vina: ſuperſunt
Quæ tulit hic annus, quæ feret alter adhuc;
Spectando ſaturi poſthac valeatis ocelli.
Vos ſat vidiſtis, non ſatis ipſe bibi.

Lis auari cum Ruſtico.

DIues opum, ſed mentis inops effoderat aurum,
Mortis & optabat conſcius eſſe ſuæ:
Stramineum laqueum, ne funem perderet amens
Nectit, & ex olea pendula membra iacit.
Viderat hunc ramo dantem ſe ruſticus alto:
Currit & adducta vincula falce ſecat.
Redditus ille ſibi (quis credat,) fracta repoſcit
Vincula: ceſſantem redere iure premit.
Ruſtice, reſtituas hunc Prætor in integra dixit
Immemorem cernis muneris eſſe tui.
Ruſticus hic ira tumidus. Quid in integra reddam,
Viuere qui renuit, integer ille fuit?
Attamen ad ramum redeat, nec vincula ſoluam,
Et pro ſtramineis linea vincla dabo.

De luſore Ocno.

PRædia ſi memini fuerant tibi quatuor Ocne;
Hac duo luſiſti meſſe; priore duo:
Noctibus & totis ſecurus lude diebus:
Nil iam quod perdat, tertia meſſis habet.

Aliud

Aliud.

PRædia ſi memini tibi delegata Parentis
  In tabulis quatuor, cum moreretur erant.
Meſſe priore duo tibi perdidit alea pernox,
  Meſſeque perduntur poſteriore duo.
Noctes atque dies quaſſes licet Ocne fritillum.
  Alea nulla poteſt eſſe ſiniſtra tibi.

Digitized by Google

BERNARDINI STEPHONII
TVMVLI ALIQVOT.

P. FRANCISCI BENCII
ORATORIS AC POETAE CLARISSIMI

AVceps rumorum volucris pennata ſatelles,
Mnemoſinæ pennas nuncia fama quate:
Memnonis a buſtis Alcidæ viſe columnas:
Arſinoem tangas, Sarmaticumque latus.
Quod Benci mortale fuit cecidiſſe loqueris:
Et tibi fac Benci per monumenta viam.
Illius at titulos inter memorare memento:
Hoc moriente tuam conticuiſſe tubam.

Alius.

FRanciſce Benci nominis tanti iaces?
Franciſce Benci paruus e tanto cinis!
Vix credo: ſed tractatur heu, ſed cernitur.
Flacci, Marones, Albij, Terentij.
Senecæ, Catones, Tullij, Saluſtij
Thucydides, Demoſthenes, Euripides,
Et rixa vates vrbium ſeptem ſenex,
Socci, Cothurni, Romulæ facetiæ,
Priſci lepores: Attici quondam ſales,
Omnes periſtis: omnis elegantia,
Omnis venuſtas. eſſet at ſaltem ſuper

Qui

Digitized by Google

Qui flere dignè poſſet. hoc raptum eſt quoque.
Elinguis ecce muſſat eloquentia.

Pictoris eximij.

S Enſibus humanis inducere proxima ſolers
Siue Deos mallet pingere ſiue Deas.
Aemula Apelleis ſpirantia ponere ſigna,
Et propè vocali ludere verba ſono.
Mentiri curas, arcanos ſcribere motus
Et facili mores euariare manu,
Callidus in tabulas naturæ ſpargere vultus
Et modo non animas addere imaginibus.
Hic ſitus eſt. illi nec mors inimica pepercit
Mille modis viuum, qui ſimulabat opus.
I famam mercare manu. moriere, nec vlli
Stant exorato tempora ſumma Deo.
Qui poterat liquidis animare coloribus ora,
Decolor atque animæ pondus inane iacet.

Lucæ Marentij Muſici.

T E lepor extinctum Charitum te turba Marenti
Luget & elinguis pallida turba Chori.
Tu cantu mollire leas, tu blandius Orpheo
Eurydicem poteras eruiſſe lyra.
Quin exorati reuocaſſes ſtamina fuſi:
Sed tibi mors blandæ vocis ademit iter.

Alius.

V Ocum Opifex numeris mulcere Marētius aures
Et

Callidus, & blandæ tendere fila Chelys.
Frigore lethæo victus tacet. ite ſupremam
In ſeriem mœſti funeris exequiæ.
Et charis & blandi ſenſus aurita voluptas,
Et chorus & fractæ Turba canora lyræ:
Denſæ humeris, vdæ lacrimis, vrgete ſepulchrum.
Quis ſcit an hinc referat vox rediuiua ſonum?
Sin tacet, ille Choros alios inſtaurat in Aſtris.
Vos decet amiſſo conticuiſſe Duce.

Plotillæ ſeptimillæ feſtiuiſſimæ Puellæ
Theodorus Photius Pater poſuit.

INgenui Plotilla ſales hac condor in Vrna,
Eſt breuis at magni funeris vrna capax.
Res numeroſa meis non vna laude placebam
Callida Muſæo fingere mella ſono.
Ad numerum glomerare pedes, inflectere cant
Docta loquuturæ condere verba lyræ.
Artifici ſubtegmen acu variare, ſupinis
Sidoniam digitis exonerare colum.
Texere Penelope, quæ caſta retexere nolit,
Illa licet falſa ſpe trahat Antinoum.
At lepor ingenij teneris maturior annis,
Nec rigido poſſet diſplicuiſſe Numæ.
Nondum nona nouē tulerat mihi bruma Decembres,
Cum geminam Lacheſis clauſit Olympiadem.
Dum numerat laudes, non reſpicit immemor annos;
Exigit infantem, me rata Parca ſenem.

Claræ Paulozzæ.

HIc ſita ſum teneris Paulozza, reciſa ſub annis
Bis meſſis, bis hyems, bis mihi viſa Roſa eſt.
Im-

Immatura prius cecidi; quàm lumina mater,
  Quàm ſatis expleres lumina care Pater.
Quod ſupereſt; nemo lacrymis mea funera paruæ
  Vrgeat: vnde Deus me vocat, aſtra peto.
Vita breuis, verum non intellecta receſſit,
  Quam dedit Eua mihi, diluit vnda notam.
Cum matutinis auris cum rore vigerem
  Egelido, ſuperi ſubſecuere manu:
Sic melius, florem prima decerpere luce
  Cum poſſis, malis conſenuiſſe die?

Ad Puellæ Tumulum.

SIc Pilios annos videas, & ſæcla viator.
  Perlege marmoreis carmina cæſa notis.
Cynthia ſum: vitæ primos erepta ſub annos
  Paruula, ſed queſtus flebilis vrna capax.
Si genus antiqui ſpectetur nominis: hæres
  (Si quid id eſt) altæ nobilitatis eram.
Si lacrymis cauſæ noſtro quæruntur ab æuo;
  Summa dies geminam clauſit Olympiadem.
Spes erat ingenio, qua mors queat improba dic
  Inuida lactentem, quæ ſecuit ſegetem.
Feſtiuos oculos, inceſſum, pectora, mores,
  Si miſeret; noſtræ ne memora domui.
Perge, vale: dictumque tene. longiſſima vita
  Si bona: ſin ſecus eſt, optima quæ breuis eſt.

Succedit Tumulis metricis Tumulus Proſaicus, ac planè poeticus, quem P. Stephonius per iocum ſcripſit cum reſciſſet, a Clariſſimo Principe D. Ioanne Mediceo Argantem Moloſſum in Suburbano Florentino Sepulchro fuiſſe mãdatum non ineleganti.

DIIS

DIIS CYNICIS MENDICISSIMIS

CERBERO TRIFAVCI, MOMO MONOGRAMMO, DIOGENI DOLIARIO; MENIPPO SVBDIVALI TIMONI MISANTHROPO.

ARgantes Moloſſus ex Melanchete
Melampi Moloſſi filius
Impiger Io. Medicei clariſs. Principis
Aſſecla, cuſtoſque lateris,
In accubatione veſtibularius,
In ambulatione gradarius,
In congreſſione ſtatarius,
In venatione curſorius,
Animæ magnæ pleniſſimus,
Pectore peramplus, ſubſtrictus aluo,
Cruribus expeditiſſimis ad curſum,
Oculis vægrandibus trucibus collucentibus
Sanguine ſuffectis,
Patentiſſimis faucibus & profundis
Toto corpore factus ad vnguem:
Tum autem ferinæ humanæque cædis
Appetentiſſimus,
Oris hiatu, rictu, fremitu, latratu, morſu,
Laniatu formidoloſiſſimus.
Vnicè carus Hero meo nonne videor fuiſſe,
Qui me denatum tumulo compoſuit,
Et Cynicorum ordini nobiliſſimo
Meum nomen adſcripſit?
Fecitq; monumentum ſpectatæ fidei,
Promeritæque beneuolentiæ
Sempiternum?
Quã autẽ operã optimo Principi nauauerim
Quàm

Quàm aſſiduam, quàm ſtrenuam,
Quàm fidelem;
Dicent viduæ maioribus belluis ſiluæ;
Dicent orbati parentibus poſthumi ſcymni
Ferarum minutuli greges
Tuto nunc, me mortuo, ſuis e latibulis,
Prorepтantes:
Dicent impune luſitabūdi cuniculi, lepuſculi,
Vulpeculæ, lupilli, capreoli, pardaliſci
Teretes vrſorum vrſilli, nefrendes aprorum,
Dicent hinnuli cum leunculis catulientes,
Qui non?
Dicent tygrides, alces, vri, biſontes;
Et ille græculus dicet,
Qui (niſi mentiri mauolet) Græcorum latere
Stellatus, & in fronte leonis depactus
Syrius catellus improbus,
Neſcio quo pacto, nunc fidentius quàm ante
Toto cælo vagus & minitabundus.
At illum ego puſillum ringentem vltro
Quoties laceſsiui, quoties territabam?
Habes.
Quod omnes Cyprij, Arcades, Cretēſes, Sicionij,
Britannici baubantes proceres
Inuideant.
Magno viro ſat video placuiſſe,
Cui dum probo fidem;
Nominis im̄ortalitatē inueni. Tamē: dicā ne?
Sane magno cum dolore dicendum eſt.
Felix heu nimium felix eram,
Si minus mordaculus eſſe potuiſſem.
Hem. leuiſsimam ob noxam damnatus Orco
Detrudor in ſilentiariam noctem
Vbi

Digitized by Google

Vbi ruptæ cicadæ taciturnum carmen
Occentare perhibentur,
Eo merito quòd Matthæum a Puteo
Herum priorem morſiuncula ſemel tantum,
Et quidem leuiter appetiuerim:
Quod niſi feciſſem,
Inter Medicea ſidera, quæ nec pauca,
Nec obſcura præſens in cælo notauit ætas,
Ipſo non abnuente Galileo,
Fortaſſe meruiſſem.
Vixi, baubaui, momordi, laceraui ſatis.
Nunc abſtruſus vltra Pytagoræ ſomnium,
Vltra minas Amantiũ, vltra fabulas Græcorũ
Vltra nihil, iter ambulo tenebricoſum
Vnde negant redire quemquam.
Dixi.
Niſi viator expectas malum, abi.
Bau, Bau, Bau.

FINIS.

405779

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

IN-

INDEX.

Carminum Heroicorum.

I. IN diem naſcenti B. Virgini ſacrum. fol. 1.
II. In diem ſalutatæ ab Angelo B. Virg. ſacrũ. 12.
III. Diræ in Herodem Regem 26.
De Carmine furiali Præcepta 40.
IV. Soteria Dauidis pro Saule 47.
V. Sennacheribi Clades 52
VI. Canephoræ 74.
VII. In ſtudiorum Inſtauratione 81.
VIII. De Poëſeos laudibus 88.
IX Vacationum Autumnalium Indictio 95
X. In Aduentu Ferdinandi II. ad vrbem 104.
XI Perettina ad Alexandrum Card Montaltũ 110.
XII. Ad P. Ant. Franciſcum Ghelfucc um 119.
XIII. Bartholomæo Roſtrio 124.

Carminum Elegiacorum.

I. De Chriſti Natali Magiſque Regibus 130.
II. Nænia B. Virginis ad Puerum Ieſum 133.
III. De Puello Ieſu 139.
IV. De felici anni Auſpicatione 141.
V. In diem Annunciationis 144.
VI. In Inſtauratione Votorum 149.
VII. Diuini amoris triumphus 156.
VIII. De Pace inter Galliæ Regẽ & Sabaudiæ Ducem 159.
Epiſtola italica pro ſequenti Elegia. 164.
IX. De ſuo pene naufragio 172.
X. Ad P. Franciſcum Tempeſtiuum 181.

Co-

Digitized by Google

Coronæ xxiv. B. Aloyſio Gonzagæ 183.

Carminum Lyricorum.

I. IN B. Virginis Præſentationem 193.
II. In diem Annunciationis B. Virginis Dithyrambus 195.
III. In Christi Natalem noctem Peruigilium 202.
IV. In eiuſdem natalem diem. Sapphicum 209.
V. Se præter Christi infantiam nil canere poſſe 215.
VI. Pauperes eſſe beatos 216.
VII. Rachel plorans filios ſuos 216.
VIII. De Puero Ieſu 227.
IX. In Hiſpanæ Regiæ laudem. Dithyrambus 239.
X. De Burgheſiæ Romæ laudibus Dithyrãbus 239.
XI. Exprobratio in improbulum Adoleſcentẽ 245.
XII. Iulianæ Villæ Deſcriptio 248.
XIII. Ad vitam Pinelli a Gualdo deſcriptã. 255.
XIV. Arbor Aquoſa Canariæ 257
XV. Varij Argumenti Odæ 299.
Emblemata 320.
Epigrammata 335.
Tumuli 348.

Deſcriptiones & Comparationes.

AEthnæ fol. 175. verſ. *Hic, & inexhauſtis*
Angelorum officia 4. *Conueniunt*
Apum examinis 7. *Vt quondam*
Auguſtiſſ. Trinitatis 12. *Tergemino &*
89. *Et Patris*
Auroræ 1: *Qualis vbi*:
Bombycina Machina 325. *Bombycis explicanda*

Ca-

Canis venatici 57. *Sic ferus*
Conchæ margaritarum 1. *Qualis e rythrea*
Concilij Fluuiorum 105 *Protinus acciti*
Dauidis congreſſus cum Goliath 64. *Cernere erat*
Diluuij . 20. *Angulus vnus*
Domus lauretanæ 10. *Teſtis erit*
Exercitus in fugam acti 54. *Dum pugnam*
Fœderis aduerſus Turcas 66. *Hinc Naupactia*
Grauiter ægrotantis 150: *haud ſimplex*
Heſteris deliquium paſſæ 21. *Heſteris extremo*
Hominis ditiſſimi 122. *Non tibi*
Hominis pauperis 123. *Sed tibi*
Hominis varijs morbis affecti 228 *At me*
Horologij rotati 319. *Hac qua*
Horti deliciarum 5. *Eſt locus*
Hortorum Eſtenſium Tibure 99. *Si quis*
Imbrium ac turbinum 127. *Quid primum*
Iudittæ ornatus 3. *Qualis vbi*
Linguæ malorum 151. *Lingua malum*
Ludorum naualium 98 *Ergo vbi*
Maris alliſi ad ſcopulos 57. *Qualis vbi*
Michaelis Angeli prælij 4. *Tu quoque*
Nauis onerariæ 2: *Qualis ab occiduo*
Noctuæ auiculis colludentis 100. *Nec tibi*
Organi hydraulici 100. *En tibi*
Organi pneumatici 116. *Sic vbi*
Phœnicis 77. *Nam ſeclis*
Plagarum Mundi 24. *Et quos eoo*
Pontis ad Antuerpiam 71. *Oceano refluo*
Populorum variorum 116. *Auſonij*
Rerum Sympathiæ 173. *Ardet anhela*
Roſarij 2. *Qualis corycio*
Tauri furentis 53. *Tum ſi forte*
Templi auguſtiſſimi 42. *Eſt locus.*

Digitized by Google

Errata pag. lin. Corrige.

	Errata	pag.	lin.	Corrige
In elogio Stephonij	ſactus	4.	6.	actus
	turpiditudinũ	7.	9.	turpitudinũ
	Satura	9.	17.	Statura
In Poetæ Proteſtatione.	Eueniat		29.	Eueniant.
	acerentur	32.	3.	lacerentur
	Syllæ	37.	12.	Scyllæ
	Erinne	41.	2.	Erinnes
	hoſtia	61.	3.	oſtia
	nobilis	84.	32.	mobilis
	ita	98.	5.	ira
	vi	100.	14.	vt
	nunque	101.	24. & 25.	nunquam
	credere	105.	4.	crede
	cuſuras	119.	20.	caſuras
	quam nitere	125.	14.	qui niterer
	Grauidenum	125.	27.	Graiugenum
	quæſtu	127.	1.	queſtu
	queſſo	127.	7.	quaſſo
	intellectum	128.	22.	intellectam
	malæ	128.	30.	mala
	plus	134.	33.	polus
	ſta tui	137.	9.	ſtat ui
	viduas	140.	10.	viduus
	mill a	140.	22.	millia
	tenaroque	140.	33.	teneroque
	aboris	159.	18.	laboris
	Aliaque	162.	11.	Alliaque
	tornando	165.	31.	tonando
	nauriget	171.	18.	nauiget
	lucem	173.	33.	lucm

Digitized by Google

ſuo	174.	27.	tuo
colnmbæ	192.	11.	columbulæ
Puellam	194.	11.	Puella
vetere	213.	10.	veterem
properati		14.	properate
ræſens	264.	20.	Præſens
Herperium	257.	17.	Heſperium
In ſumma	265.	4.	Tu ſumma
Te dura	265.	16.	Tu dura
Nec	267.	17.	Hæc
diſſoluit	268.	29.	diſſolũát
Iri; marita	270.	20.	Ire maritam
iſtantis	274.	29.	inſtantis
amico	293.	22.	amica
roſido	302.	6.	roſcido
preter	305.	2.	præter
omne	308.	31.	omnes
com	310.	20.	cum
Flore	311.	32.	Floræ
Aurei	338.	29.	Aureli

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google